

www.e-rara.ch

**Dissertationes Historicæ, Criticæ, Chronologicæ In Sacram Scripturam
Veteris Testamenti**

Petitdidier, Mathieu

Tulli Leucorum, M. DC. XCIC

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-48910>

Dissertatio trigesima prima [- trigesima quinta].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISSERTATIO TRIGESIMA PRIMA
DE CAINANO ARPHAXADI

*filio S de annis nativitatis Tharæ S
Abrahæ.*

SECTIO PRIMA.

De Cainano Arphaxadi filio.

QUOD spectat ad primum, celebris est nec minimi momenti quæstio in rebus chronologicis, utrùm Cainan Patriarchis post-diluvianis sit annumerandus. Affirmant omnes qui Chronologiam τῶν δὲ sequuntur; plerique etiam eorum, qui in aliis adhærent calculo textus Hebraici. Negant verò plures alii, quorum sententia nobis multò probabilior videtur, ob rationes sequentes. 1^o. Quia nulla extat mentio hujus Cainanis, nec in vulgatâ versione, nec in Hebraico textu, nec in Pentateucho Samaritano, quorum omnium autoritas absque dubio prævalere debet anticipatæ quorundam de isto Cainane opinioni. Si enim Cainan ignotus fuit Moyfi, ut ignotum de facto non dubitabit quisquis perpenderit Moysen eum nunquam fuisse omiffurum, si illum agnovisset. Cum etiam clarum sit ex distinctâ cæterarum generationum relatione, Moysen exactam chronologiam tradere voluisse: quis sibi persuadere poterit eum generatione illâ prætermiffâ chronologiam suam aut vitare voluisse, aut saltèm vitiasse. Ita ferè Pererius lib. 16. in Genes. sect. 174. Similia habet Petrus Possinus Dial. Theologic. Generalic. his verbis: *Magnis viris assensior Abulensi, Eugubino, Cajetano, Cornel. Iansenio, Sixto Senensi, Genebrardo, Pererio, Cornelio à Lapide, Dyon. Petavio,*

aliisque antiquioribus multis, nullum unquam fuisse inter homines Cainanem, qui Arphaxadi quidem filius, Salei verò pater fuerit. Id invicto argumento conficere mihi videor ex disertâ affirmatione Moſis genitum ab Arphaxado Saleum narrantis. Quod testimonium quin prout sonat, ac prout iacet accipier- dum sit causa nulla idonea potest afferrî. Si ergo cum idem Moſes eodem loco genitum aut à Semo Arphaxad, aut à Saleo Heberum divinâ quâ valuit autoritate revelat, creditur propriè & ἀμείωτος Heberum Sale fuisse patrem, Semo Arphaxad filium: adeò ut qui proferre auderet alios quosdam quorum generatio media inter illos fuisset, continuo repellendus videretur tanquam temerarius & divinæ revelationis, per Moſen Spiritus Sancti Interpretem nobis oblata contemptor contumax: non video quis superesse possit locus isti de institutio Cainane sententia. Hæc ille.

2^o Nulla fit mentio hujus Cainanis, neque in libris Paralipomenon, neque apud Onkelosi Paraphrasim; neque apud Flavium Josephum, nec apud Berosum Chaldæum, ab eodem Josepho citatum; siquidem Abrahamum in decimâ post diluvium generatione collocat. Sed neque apud Eupolemum ab Alexandro Polyhistoro productum, & ab Eusebio relatam lib. 9. præpar. Evangelicæ. Nec denique in sinceris exemplaribus versionis τῶν ὁ, ut ex objectionum solutione constabit. Itaque.

Objicitur 1^o. Cainanis generatio in editione τῶν ὁ inter Arphaxad & Sale reperitur: ergo non debet repudiari; maximè cum omnes antiqui Patres versionem illam plurimi fecerint; nonnulli verò etiam à Deo inspiratam crediderint.

Respondeo 1^o. Negando consequentiam: septuaginta enim Interpretes fuerunt errori obnoxii non prophetæ, ut ait D. Hieronimus. Quod si Patres aliqui in eis prophetarum auctoritatem agnoverint, monet Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 6. illos in hoc piè quæsisse rationes excusandi & defendendi eam versionem, quâ tunc Ecclesia utebatur. Verùm hoc loco in quantum extollitur versio τῶν ὁ, in tantum Vulgata deprimitur. Deinde plerique adversariorum qui septuaginta Interpretes tantum hic prædicant, ex eorum numero

sunt, qui eos alibi in rebus chronologicis incunctanter rejiciunt. Præterea neque etiam conveniunt inter se, qui pro isto Cæinane decertant, de ætate quæ tum ipsi, tum patri ante generationem tribuenda est. Nam Marianus Scotus, qui primus omnium Cæinanem eum textus Hebraici chronologiâ conjunxit, Arphaxado 135. annos tribuit, Cæinano verò 130. cum genuerunt. Bellarminus verò, Gordonus, Torniiellus, Salius & alii contendunt ducentos annos ab hoc numero esse rescindendos. Denique variant codices etiam demptis à Cæinano centum annis, in ætate quæ ipsi ante *παιδογονίαν* tribuenda est. Jornandes enim & Gregorius Syrus 35. ipsi tribuunt, Georgius verò Syncellus licet 130. ipsi tribuat, agnoscit tamen alios codices 139. ipsi tribuere.

Respondeo 2^o. Negando antecedens; licet enim hodierni codices Cæinanum illum præferant, & fortè etiam in eâ versionis editione, quæ *κωνή* dicebatur, extiterit, constat tamen eam olim in sinceris & correctis illius versionis codicibus non extitisse. 1^o. Quia in editione quæ in exaplis Origenis habebatur, non legebatur Cæinanis generatio. Origenes enim ubique, constanter omisso Cæinane, docet fuisse tantum decem generationes à Noë ad Abrahamum. Sic enim habet tract. 16. in Math. pag. 402. edi. Huetianæ: *Τετριάτῃ ἡρᾷ ἀλλοῦτο ἔργον, ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς Νοῦ, ὡς ὅτε ἐγένετο τὸ σῶμα τοῦ Θεοῦ, ἐπὶ τὴν ἡμέραν τὴν δεκάτην ἀπὸ τῆς Νοῦ ἕως τοῦ Ἀβραάμ, ἡμερᾶς δὲ δέκα ἀπὸ τῆς Νοῦ ἕως τοῦ Ἀβραάμ, ἡμερᾶς δὲ δέκα ἀπὸ τῆς Νοῦ ἕως τοῦ Ἀβραάμ, ἡμερᾶς δὲ δέκα ἀπὸ τῆς Νοῦ ἕως τοῦ Ἀβραάμ.* Et tract. 20. in Joan. pag. 287. ejusdem editionis sic habet: *Ἀβραάμ ἡμερᾶς δεκάτην γενετὴν ἔσται ἀπὸ τοῦ Προτοπλαστοῦ, ὡς ὅτι δέκα γενεαὶ εἰσὶν ἀπὸ τοῦ Ἀδάμ ἕως τοῦ Νοῦ, & δέκα ἀπὸ τοῦ Νοῦ ἕως τοῦ Ἀβραάμ.* Denique Homil. 4. in Num. *Ἐξήκοντα & δύο (inquit) ἀπὸ τοῦ Προτοπλαστοῦ Ἀδάμ ἕως τοῦ Ἰακώβ, ἐκ τοῦ σπέρματος τοῦ Ἰακώβ ἀρχαὶ εἰσὶν ἡμερᾶς δωδεκάτην τριῶν.* Eusebius etiam qui in Chronico editionem Exaplorum fecutus est, nullam ejus mentionem facit; sed simpliciter refert: *κατὰ ἐρμηνείαν τῶν ὁ* Arphaxadam an. 135. genuisse Sale. 2^o. Quia Eusebio antiquior & Origeni æqualis Julius Africanus hunc Cæinanem omninò prætermisit: siquidem ab Adam usque ad mortem Phaleg 3000. annos numerat,

ut notant Eustathius in Hexameron pag. 55. & Georgius Syncellus chron. pag. 86. Idem quod Africanus præstant Hesychius apud Anastasium Nycænum quæst. 95. in Script. Suidas in Phaleg, Georgius Cedrenus in chron. &c. 3°. Ante Africanum Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autholicum, calculum chronologicum juxtà editionem τῶν ὀ instituens, Cāinanis tamen nullatenus meminit; quamvis Cāinanis nomen in versionem latinam per errorem, vel Interpretis audaciam irrepserit. 4°. Eusebio subjungi possunt ferè omnes veteres, qui de rebus chronologicis aliquid scripserunt, Quintus Julius Hilarion in libello de duratione mundi, Martyrologia Rom. Ussardi, Rabani, Adonis &c. Orosius lib. 1. cap. 1. Idacius, Prosper, Marcellinus Comes, Cassiodorus, Isidorus, Gregorius Turon. &c. qui omnes tempora Cāinanis omiserunt. 5°. Idem probat quòd neque in Græco codice Vaticano, neque in Bibliorum Jayanorum versione Arabicâ, neque in Ruthenicâ sive Illyricâ translatione adhuc inserta sit Cāinanis generatio in lib. 1. Paralipomenon, ubi series generationum quæ fuerant ante & post diluvium recensentur.

At reclamant adversarii contrà hanc responsionem. Philippæus quidem Eusebium, etsi in chronico Cāinanis non meminerit, alibi tamen eum recensere, ut patet ex libello Latino quem Scaliger Eusebii chronico adjunxit. Pezeronus verò contendit omnes authores qui ante Origenem scripserunt, Cāinanum inter Patriarchas post-diluvianos numerasse: imò in Hebraico textu olim recensitum esse, & à Josepho memoratum; sed à Judæis tam ex Josephi historiâ, quàm ex Hebraico textu datâ operâ erasum esse. Sed certè cavillantur hic adversarii dum nihil habeant boni quod respondeant. 1°. Enim certum est istum libellum Eusebii non esse, ut jam pridem ostendit Josephus Scaliger, ex diversitate chronologiæ, quæ inter hunc libellum, & Eusebii chronicon intercedit. Certum est etiam Eusebium Cāinanem constanter rejecisse: siquidem id in eo notat & reprehendit Georg. Syncellus chronici pag. 86. 2°. Gratis contendit Pezeronus ante Origenem Cāinanem ab omnibus veteribus numeratum fuisse.

Debuerat ergo respondisse ad testimonia Josephi, Berosi, Theophili Antiocheni, Eupolemi, Textûs Samaritani &c. Quod si se posse evadere putat asserendo Josephi libros malitiosè corruptos, restat ut & Berosi, Eupolemi & Theophili Antiocheni libros etiam malitiosè vitiatos esse contendat, quod quam absurdum fuerit asserere, nemo non videt.

Objicitur 2^o. B. Lucas Spiritus Sancti amanuensis Caimanem in Christi Genealogiâ inter Salem & Arphaxadum collocavit, ergo nullus superest dubitandi locus, quin reverâ talis homo extiterit. Respondent aliqui negando consequentiam; quia Sanctus Lucas id ex propriâ sententiâ non fecit; sed ex aliorum opinione, qui id in aliquibus τῶν ὀ exemplaribus legebant: *multa quippe*, inquit Sanctus Hieronimus in cap. 28. Jeremiæ, *dicuntur juxtâ opinionem illius temporis quo gesta fuerunt, & non juxtâ quod rei veritas continetur. & in lib. 2^o. adversùs Helvidium Evangelistæ*, inquit, *vulgi opinionem exprimentes, quæ vera historia lux est, patrem dixerunt Iosèph Salvatoris*. Similiter ergo, inquit, Evangelista Lucas omnes primogenitores Salvatoris tam vulgò ita habitos, quàm veros recensendos sibi proponens, genealogiam ejus sic exorsus est, *ὡς ἐνομιζέτο ὁ υἱὸς τοῦ ἰωσήφ τοῦ ἱλίου, τοῦ μαθάν*, *existens ut putabatur filius Iosèph filius Eli &c.* In progressu quoque Caiman inter patres Christi nominare potuit: non quòd talis reverâ ipse esset, sed quòd à Judæis Hellenistis, quorum plurimi nomen ejus in suis Bibliis legebant, talis putaretur. Enim verò non improbabili- ter conjici potest ex chronologiâ Demetrii, quam refert Alexander Polyhistor apud Eusebium lib. 9^o. præpar. Evangelicæ, Caimanis nomen jam ante Christum in aliquâ versionis τῶν ὀ exemplaria irrepisse. Cum enim ab Adamo ad Jacobi descensum in Ægyptum numeret annos 3624. à diluvio annos 1360. vel potius 1362. ab Abrahami verò peregrinatione 215. videtur suum ætati Caimanis tribuisse locum. Sed ne fortè hæc responsio, etsi conformis principiis Divi Hieronimi, aliquos offendat, parùmque venerationi & auctoritati Scripturarum convenire videatur.

Respondeo negando antecedens. Cum enim certum sit

Caïnanis nomen , neque in Hebraico textu , neque in Samaritano ; sed neque in codicibus versionis τῶν ὀ melioris notæ , tempore D. Lucæ extitisse , ab omni verisimilitudine alienum est Sanctum Lucam ejus mentionem fecisse. E contrâ verò probabilissimum , ab aliquo amanuensi sciolo , qui Caïnanis nomen in aliquibus versionis τῶν ὀ exemplaribus legerat , in Christi genealogiam fuisse intrusum , ac deinceps istud nomen in aliis exemplaribus etiam locum invenisse. Hoc autem eò verisimilius efficitur , quòd non ita in omnibus codicibus prævaluerit ista lectio , apud Sanctum Lucam ; quin adhuc aliqua reperiantur exemplaria , quæ Caïnanem istum prorsùs omittunt. Extat enim codex Beati Lucæ Græco-latinus in antiquissimis membranis , litteris majusculis sine spiritibus & accentibus descriptus ubi in Græco ita exertè legitur. τὸ Φαλὲγ τὸ Ἑβερ , τὸ Σαλα , τὸ Ἀρφαξὰδ , τὸ Σημ. Et in Latino ; qui fuit Phaleg , qui fuit Heber , qui fuit Sale , qui fuit Arphaxad , qui fuit Sem , Caïnanis mentione prætermisâ. Porro codex ille ex Galatiâ in Galliam olim allatus est , & in Monasterio Sancti Irenæi in suburbio Lugdunensi repositus , ibique tempore civilis belli anno 1562. repertus , anno 1581. à Theodoro Bezâ Academiæ Cantabrigiensi donatus est. Adde quòd Divus Irenæus hunc Caïnanem apud S. Lucam non legebat ; siquidem numerat tantùm septuaginta duas generationes ab Adamo usque ad Christum : cum tamen , si Caïnanem numeres , septuaginta tres inveniantur. Cœterùm quæ de istius Caïnanis profapiâ & vitâ nonnulli referunt , tam fictitia sunt , quàm ipse fuerit. Id solum notandum est , Eusebium de istâ profapiâ nullibi esse locutum.



S E C T I O S E C U N D A.
D E

annis Nativitatis Tharæ & Abrahæ.

QUOD spectat ad annum nativitatis Tharæ, non est magna difficultas: constat enim tum ex Eusebio, tum ex aliis veteribus, nec non ex editione Venetâ versionis τῶν ὀ Nachorem genuisse Tharam anno ætatis suæ septuagesimo nono; proindeque errorem irrepsisse in editionem Sixtinam, & Complutensem, ejusdem versionis in quibus pro 79. legitur 179. Ex quo mirari subit, cur Pezeronus huic generationi assignet annum Nachoris 129. juxtâ calculum Josephi, quem hic nobis pro calculo τῶν ὀ venditat: cum tamen fateatur, vel ipse Isaac Vossius, Josephum in hoc à codicibus versionis τῶν ὀ diversum esse.

Sed multò gravior est difficultas circâ natalem annum Abrahæ. Scriptura enim expressè tradere videtur, cum anno septuagesimo Tharæ natum esse; cum tamen eadem Scriptura, Genesis 12. asserat eum, cum egrederetur de Haran, fuisse tantum septuaginta quinque annorum: & tamen Patrem ejus ducentis quinque annis natum, jam tunc mortuum fuisse, paulò ante asserat. Sed quia hoc ultimum, ex quo præcipuè exurgit difficultas, non ab omnibus admittitur; ideo hic illud paulò fusiùs stabilendum est.

Probatur itaque primò, ex connexionè quæ reperitur, inter mortem Tharæ & vocationem Abrahæ: postquam enim Scriptura retulit mortem Tharæ, statim subjungit: & dixit Dominus ad Abram: egredere de terrâ tuâ &c. Ex quo patet istam Abrahæ profectionem tunc demùm contigisse. Undè etiam Scriptura ibidem memorat Abram tulisse animas quas fecerant in Haran. Secundò quia ex eadem Scripturâ constat, Tharam profectum esse ex Mesopotamiâ cum filio, ut irent in terram Chanaan, & venisse in Cha-

ran , ubi mortuus est : ergo cum Abram profectus sit de Haran , constat quòd ejus peregrinatio nonnisi post mortem Tharæ cœperit. Quia tamen urget Scriptura Abrahamum anno Tharæ septuagesimo natum esse , & tamen septuaginta quinque duntaxat annorum fuisse , quando egressus est de Haran , clarèque ex eo sequi videtur , Tharam tunc temporis necdum fuisse mortuum : ideò nonnulli censent mortem Tharæ hic per prolepsim in Scripturâ relatam , ut totius deindè peregrinationis Abrahamæ series texeretur. Sed quoniam Scriptura contrarium apertè docet Actorum 7. ubi Beatus Stephanus disertè asserit *Abraham translatum esse de Charan , postquam mortuus est Pater ejus*. Hinc plures tantam difficultatem hic viderunt , ut indissolubilem eam putarint. Ita Hieronimus in quæst. Hebraicis , & Josephus Scaliger in Elencho secundæ orationis Paræi. Nonnulli etiam eò deventerunt , ut hujus loci Actorum , fidem in dubium revocaverint ; vel asserentes , ut Melchior Canus , B. Stephanum æstu disputationis raptum , memoriâ lapsum esse : aut ut Buccholcerus , Acta ad Genesism esse examinanda : non verò Genesism ad Acta. Sed certè utriusque responsio valdè temeraria est : quasi verò , non idem omninò Genesis haberet quod Acta , aut quasi Spiritus Sanctus minùs Acta inspirasset quàm Genesism ; vel minùs per os B. Stephani , qui eo plenus erat , quàm per os Mosis locutus sit ? Nec magis audiendus est Sethus Calvisius , Isag. Chronol. cap. 35. cum in septuaginta Interpretes rejicere satagit quem B. Stephano tribuit errorem : siquidem nihil in Septuaginta Interpretibus , hoc loco , habetur , quod non etiam in Hebraico textu reperitur.

Alii ut Syncellus , Masius , & Nicolaus Abram , mortem istam Tharæ , volunt intelligi de morte mysticâ , per idololatriam. Sed certè satis clarum est , non magis esse mysticam hanc , de quâ B. Stephanus loquitur , mortem , quàm sit mystica illa de quâ Scripturâ loquitur , Genesis ii. ad quam Sanctum Stephanum respexisse dubium non est. Neque usquam ostendi poterit ex Scripturâ Tharam , ex quo de Ur profectus est , in idololatriam lapsum esse.

Alii igitur ut Abulensis, & Pererius, duas statuunt in Chanaan profectioes, unam ante mortem Tharæ, alteram post mortem ejus; de quarum priore Moyſes egerit, & de posteriore B. Stephanus meminerit. Sed præterquàm duplex illa profectio abundè confutatur à Tornielo, Saliano, Bonfrerio Harvillæo, & aliis, manifestè etiam repugnat D. Pauli verbis, Hebr. ii. qui de primis Patriarchis, & Abrahamo potissimùm, loquens, ait: *Siquidem patriæ memores fuissent, de quâ exierant, habebant oportunitatem ad revertendum.*

Alii ut Ludovicus de Dieu, unicam quidem statuunt profectioem; sed illam translationem post mortem Tharæ de quâ Act. 7. intelligunt esse de terrâ Chanaan in genere, ad peculiarem illius terræ locum, qui postea Tribui Judæ fuit destinatus. Sed præterquàm improprie diceretur translatus, cum regionem non mutasset, huic evasioni locum abstulit B. Stephanus: asserit enim translationem illam factam esse ex Charan, indèque *ἐξ Ἰερουσαλὴμ*, postquàm mortuus est pater ejus &c. cum non esset ei filius. Quæ ultima verba confodiunt etiam istam explicationem; siquidem, juxta Ludovici de Dieu hypotesim, Abraham tunc agebat annum 137. proindèque habebat filium. Nec valet quod asserit Petavius verba ista, cum non esset ei filius, non esse cum prioribus conjungenda, sed tantùm promissionem jam antea factam designare. Contrarium enim clarum est, tum ex verbis B. Stephani, tum etiam, ex verbis Moſis, ac utriusque intento. Ex quibus omnibus patet, aliundè quàm ex istis solutionibus, quærendam esse nodi hujus resolutionem.

Itaque ad solutionem difficultatis quâ dicitur in Genesi Abram anno septuagesimo Tharæ natum esse; cum tamen eum nonnisi centesimo trigesimo natum oporteat; siquidem anno ducentesimo quinto patris sui erat tantùm annorum septuaginta quinque: dicendum est, de facto Abraham non ante annum 130. Tharæ natum esse; nec contrarium tradi in Scripturâ: sed tantùm quod Thara Pater ejus anno septuagesimo generare cœperit. Cum enim Scriptura asserat Tharam anno septuagesimo ætatis suæ, genuisse Abram,

Nachor, & Haran; nec tamen tres uno anno nasci poterint, res ita accipienda est ut dicatur Tharam primum filium suscepisse anno septuagesimo ætatis suæ; alios verò postea. Neque difficultatem facere potest quòd Abram primo loco nominetur; id enim contigit non quòd primogenitus esset, sed quòd spectarent ad eum Dei promissiones. Vel etiam quia is est stilus Scripturæ Sacræ ut generationes ordine retrogrado referat, quod facillimum esset infinitis exemplis demonstrare. Enimverò clarum est ex Scripturâ, Haran duobus aliis longè senioreni fuisse; non solum quia longè ante eos obiit; sed maximè quia Nachor habuit uxorem Melcha filiam Haran; Abraham verò Sarai, quam eandem esse cum Jeschâ ejusdem Haran filiâ tradunt non solum ex Hebræis omnes veteres, sed etiam plerique ex Christianis, & nominatim D. Augustinus lib. 16. de Civitate Dei cap. 12. & 19. Neque etiam in contrarium facit, quod objicit Bellarminus, Scripturam per nativitatem Abrahæ texere chronologiam; proindèque statuendum, eum natum esse anno septuagesimo Tharæ; id enim falsum est: immò clarum est ex Scripturâ non à nativitate Abrahæ, sed à promissione, quæ illi post mortem Tharæ facta est, ducendum esse calculum chronologicum. Ex quo timendum non est ne fortè annus nativitatis Abrahæ incertus remaneat; siquidem, deductis septuaginta quinque annis, à tempore quo facta est illi promissio, facillimè invenitur, quo demùm anno, Tharæ nimirum centesimo trigésimo, Abraham natus sit.

Ceterum, absolutis difficultatibus quæ secundam mundi ætatem spectant, antequàm ad tertiam veniamus, operæ pretium est hic eam, tam secundum calculum Hebraicum quem sequimur, quàm secundum versionem *ר״ו* ò ob oculos exponere.



Anni Patriarcharum post diluuium.

Anni mundi		ante πατριάρχων Juxtà		post πατριάρχων Juxtà		anni ante Christum
		Hebr.	Græc.	Hebr.	Græc.	
1658	Sem	2	2	500	500	2346
1639	Arphaxad	35	135	403	330	2311
	Caïnan	0	130	0	330	
1723	Sale	30	130	403	330	2281
1757	Heber	34	134	430	270	2247
1787	Phaleg	30	130	290	209	2217
1819	Ragau	32	132	207	207	2185
1849	Saruch	30	130	200	200	2155
1878	Nachor	29	79	119	125	2126
1948	Thare	70	70	135		2056
2083						1921

Abraham profectus est ex Charan
anno ætatis 75. ætatis Tharæ 205.

Summa tertiæ mundi
di ætatis an. 427.



DISSERTATIO TRIGESIMA SECUNDA
 DE TERTIA MUNDI ÆTATE,
 ejus initio , duratione & fine.

Hujus ætatis duratio expressè definitur à D. Paulo ad Galatas cap. 3. ver. 17. ubi asserit , inter promissionem Abrahæ factam , & Legem datam , quadringentos triginta annos reperiri ; proindeque hujus ætatis duratio non videtur posse amplius in dubium revocari. Dubitari tamen posse asserit Petavius , tum de ejus initio , tum de fine. Cum enim non definiat Apostolus , an illi quadringenti triginta anni , completi fuerint , an verò incompleti ; dubitari potest primò , an incunte ; an verò completo anno septuagesimo sexto Abrahami , illius periodi sumendum sit initium. Secundò an in initio , an verò potius in fine quadringentorum triginta annorum , finis ejus constituendus sit. Sed absque ratione dubium istud movet Petavius : de utroque enim certiores nos reddit Scriptura. De primo quidem , cum non solum Genesis 12. dicat , Abrahamum fuisse septuaginta quinque annorum , cum exiret de Charan ; sed etiam Genesis 16. v. 3. numeret decem annos expletos ab initio peregrinationis , quando ingressus est ad Agar ; & versu 16. dicat , eum octoginta sex annorum fuisse , cum Agar peperit. Ex hoc enim sole clarius elicitur Abrahamum cœpisse annum septuagesimum sextum quando egressus est de Haran. De secundo verò cum Exodi 12. vers. 41. expressè dicit : & factum est post finem quadringentorum triginta annorum , ut eodem ipso die egredierentur omnes exercitus Domini de terrâ Ægypti.

Sed magnam difficultatem facit locus Exodi 12. v. 41. in quo dicitur : peregrinatio autem filiorum Israël , quâ commorati

sunt in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum. Si enim tantum temporis in Ægypto fuerint Israëlita, profecto ista Periodus Exodi, non sumit initium à professione Abrahamæ de Charan.

Sed primò advertendum est vocem Hebraicam, quæ voci peregrinationis respondet, quamcunque migrationem è patriâ designare. Quod idem dicendum est de voce Græcâ *παροίησις*.

Secundò terram ipsam Chanaan ab Abraham, Isaac, & Jacob, pro terrâ peregrinationis habitam, ut constat ex Genesis 18. ψ. 4. 26. ψ. 7. 28. ψ. 1. Exodi 6. ψ. 4. &c. Sic autem peregrinatio Patrum tribuitur filiis, sicut possessio filiorum tribuitur Patribus, loquendi modo Scripturis usitato, ut ex pluribus Scripturæ locis facillè probari posset. v. g. Deuteronomii 26. ψ. 5. Judicum 10. ψ. 11. & 12. & primi Regum 12. ψ. 11. Si igitur ista peregrinatio numeretur ab egressione de Charan, facillè reperientur quadringenti triginta anni, & omnia concordabunt.

Tertiò vox Hebraica, quæ in illâ phrasi respondet voci, *quâ commorati sunt in Ægypto*, æquè aptè reddi potest per vocem (qui) ut Polyglotta Antuerpiensia, & Parisiensia legunt, hoc modo: *habitatio autem filiorum Israël qui manserunt in Ægypto &c.* quâ particulâ sic mutatâ, nulla nobis superest difficultas. Ideò verò Moses, in istâ peregrinatione commemorandâ, Ægypti tantùm meminit; quia in terrâ Chanaan erant *numero brevi paucissimi & incolæ ejus*, ut dicitur in Psalmo: cum è contrâ in Ægypto valdè multiplicati sint. Nec est quòd hæc sententia tam severè habeatur à Stapleton, in antid. Apostolorum ad Act. 7. quasi hæretica esset, cum eam non solum docuerit Lyranus; sed ex veteribus etiam approbarint Augustinus quæst. 47. in Exodum. Theophilus Antiochenus lib. 3. ad Autolicum. Sedulius in caput tertium ad Galatas. Beda in libro de sex mundi ætatibus, ut nunc taceam Judæos in Seder-olam Rabba, & in comment. tam ad Genesis 15. quàm ad Exodi 12.

Quòd autem ab ingressu Jacob in Ægyptum isti quadringenti triginta anni non possint numerari sic probatur.

Primò. Caat jam natus erat, cum Jacob intravit in Ægyptum, vixitque duntaxat centum triginta tribus annis. Amram verò filius ejus, pater autem Moyſis vixit tantùm centum triginta ſeptem annis; Moſes verò erat octoginta annorum cum eduxit Iſraël de Ægypto. Ergo etiamſi omnes iſti anni numerarentur ſimul; nec dum haberentur quadringenti triginta anni, ſed tantùm trecenti quinquaginta; proindè filii Iſraël non potuerunt eſſe quadringentis annis in Ægypto. Porrò dicere cum Genebrardo, vel Amram viſſe pluſquàm centum triginta ſeptem annis, vel alias perſonas inter ipſum & Moſen inferendas, hatoriari eſt.

Secundò. Jocabed fuit mater Moyſis; atqui ipſa erat filia Levi, quæ nata eſt ei in Ægypto ex Numerorum 26. v. 59. Levi autem in Ægypto vixit ad ſummum nonaginta tribus; veriùs autem octoginta ſeptem annis. Quibus ſubductis, cum octoginta quibus natus erat Moyſes, cum Iſraëlitas eduxit de Ægypto, ex quadringentis triginta ſuperſunt adhuc ducenti quinquaginta ſeptem anni. Sicque dicendum erit, Jocabed genuiſſe Moyſen anno ætatis ſuæ ducentefimo quinquageſimo ſeptimo, quod pluſquàm abſurdum eſt.

Tertiò Heſron, qui cum Jacob descendit in Ægyptum, ſexaginta annorum factus, ductâ filiâ Machir genuit Segub. At Segub genuit Jair, qui poſt quadraginta annos ab Exodo elapſos, poſſedit villas Baſan ejus nomine appellatas. Ex primi Paralipomenon 2. v. 21. Numerorum 32. v. 40. & Deuteronomii 3. v. 14. Ergo &c. Simile argumentum duci poſteſt ex Genealogiâ Core contradictoris; habuit enim avum Caath filium Levi, Dathan verò & Abiron habuerunt avum Ruben, ex Numerorum 16. v. 1. & 26. v. 8. & 9.

Quartiò. Ex verſione τῶνδὲ, quæ ſic habet: *Peregrinatio autē filiorū Iſraël quā peregrinati in terrā Ægypti & in terra Chanaā, ipſi & Patres eorum, fuit annorum quadringentorum & triginta.* Licet autem clauſula; *ipſi & Patres eorum*, non habeatur in Vaticano codice, habetur tamen in Alexandrino, & in omnibus aliis atque ita legerunt olim; Eusebius in chron. Q. Jul. Hil. lib. de duratione mundi. Auguſtinus quaſt. 47. in Exodum &c.

Quintò. Divus Paulus ad Galatas 3. expressè docet, Legis promulgationem factam esse post quadringentos triginta annos, à promissione Abrahamæ factâ. Atqui promissio illa plusquàm ducentis annis præcessit ingressum in Ægyptum: non possunt itaque numerari quadringenti triginta anni ab ingressu in Ægyptum. Licet autem diversimodè cavillentur adversarii, ut vim istius autoritatis eludant & Apostoli verba aliò detorqueant: nihilominus adeò clara est ejus sententia, ut quisquis locum attentè inspexerit, omnes adversariorum cavillationes absque ullâ difficultate sit soluturus.

Verùm contrà hanc sententiam magnam facit difficultatem insignis locus Genesis 15. in quo sic habetur: *Scito prænosces quod peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ, & subjicient eos servituti & affligent eos quadringentis annis.* Ex quo inferunt adversarii moram Israëlitarum in Ægypto fuisse quadringentorum ad minus annorum; proindèque hanc tertiam ætatem ultrà quadringentos triginta annos esse extendendam. Sed evanesceat ista difficultas, si quæ ad locum Exodi 12. modo diximus huic etiam simili loco applicentur.

Sunt & aliæ difficultates quas pro diuturniore Israëlitarum in Ægypto morâ movent adversarii, ut v. g. quòd Scriptura octo generationes recenseat inter Ephraim & Josuam; licet Josuè quinquagesimum tertium saltèm annum expleset, quando ingressus est in Ægyptum: quòd Israëlità in tantum multiplicati essent, ut quando egressi sunt de Ægypto exercitum penè innumerabilem conficerent, &c. Sed præterquàm istæ difficultates prævalere non debent adversùs autoritatem D. Pauli, disertè asserentis, inter promissionem Abrahamæ factam & Legem datam, nonnisi quadringentos triginta annos effluxisse: facile est etiam eas resolvere. Ad primam enim respondeo 1^o. plerosque eorum qui in Vulgatâ versione inter Ephraimi nepotes numerantur, ab ipsomet genitos fuisse; ut patet ex Hebraico textu, in quo inter ejus filios referuntur. Hujus autem textus lectio indè confirmatur, quòd in divisione terræ Sheera inter filias ab Ephraimo genitas recenseatur, quam tunc natam oportuit, saltèm centum

quadraginta annis. At si Israëlitarum mora in Ægypto fuisset quadringentorum annorum, ut volunt adversarii, Sheera trecentessimum trigessimum annum tunc superasset, quod incredibile est; nec cum ætate hominum istius ut sæculi convenit. 2°. Dato quòd octo essent generationes inter Ephraim & Josué, necdum tamen istæ octo generationes, diuturniorem moram in Ægypto evincerent; siquidem singulis istarum generationum, possent assignari viginti anni; quod spatium jam tunc temporis sufficiebat ad unam generationem, ut patet ex ætate quâ duodecim Patriarchæ liberis operam dare cœperunt. Ad secundam respondeo, nihil esse in hâc multiplicatione quod sententiæ nostræ adversetur; cum non solum septuaginta viri, qui ingressi sunt in Ægyptum, sed multò pauciores, potuerint intrâ ducentos annos tantam multitudinem procreare, ut cuius attendenti faciliè patebit.

Verùm exurgit alia difficultas circà initium hujus ætatis. Alii enim in anno septuagesimo quinto Abrahæ; alii ante, alii denique post annum istum, illud collocant. Cum enim duplicem Abrahæ vocationem Scriptura memoret, plerique initium hujus ætatis à primâ numerantes, eam ab anno septuagesimo Abrahæ in quo vocationem istam collocant ordiuntur; alii verò hanc ætatem à secundâ tantùm Abrahæ vocatione, vel etiam seriùs incipientes, initium ejus sumunt vel ab anno septuagesimo quinto, vel à septuagesimo septimo, vel ab octogesimo quinto. Nobis verò probabilius videtur utramque Abrahæ vocationem anno ejus septuagesimo quinto contigisse, & tamen initium hujus ætatis, nonnisi à secundâ quæ post mortem Tharæ contigit, esse desumendum. Primum hinc colligi potest, quòd Scriptura docet Tharam de Ur Chaldæorum, cum Abrahamo exiisse, animo eundi in terram Chanaan. Cum igitur in Charan substituterit ibique mortuus fuerit, valdè probabile est eum ultimum vitæ annum tunc agentem, ibi morbo correptum fuisse, nec longiùs in itinere procedere potuisse; sed ibi diem ultimum obiisse. Secundum verò indè probatur, quòd ex consensu omnium tertia ætas incipere debeat à

tempore promissionis : atqui promissio illa secundæ vocationi subjuncta est , non primæ , ut patet ex Scripturâ : Ergo &c. Idem etiam constat ex eo quòd Scriptura , post secundam vocationem , exactè memorat annos Abrahæ : quod satis indicat epocham tertix ætatis ab eâ vocatione potiusquàm à præcedenti desumendam esse. Ad ea verò quæ ab adversariis contrà hanc sententiam objici possent , facillè respondebitur ; dummodo accuratè notetur , Charan , non minùs quàm Ur , sitam fuisse in Mesopotamiâ , in eâque Abraham aliquandiù , id est sex circiter mensibus habitasse.

Sed tempus est ut hanc tertiam mundi ætatem in suas partes distribuamus , & cuique parti suam ætatem assignemus. Itaque hoc spatium quadringentorum triginta annorum in duas partes æquales dividitur , ducentorum nimirum & quindecim annorum. Tot enim elapsi sunt à vocatione Abrahæ ad ingressum Jacobi in Ægyptum. Ex quo etiam sequitur , totidem ab ingressu illo ad egressum de Ægypto elapsos esse. Sic autem prior summa distribui potest. A profectioe Abrahæ ad Isaaci nativitatem anni sunt viginti quinque ; à nato Isaac ad natum Jacob anni sexaginta. Jacob verò erat centum triginta annorum quando ingressus est in Ægyptum. Porrò hi numeri simul compositi , efficiunt summam ducentorum quindecim annorum. Sic etiam secunda probabiliter distribui potest ; licet ejus distributionem Scriptura non faciat. Ab ingressu Jacobi in Ægyptum , usque ad natum Caath filium Levi , sunt anni septemdecim. Hinc ad genitum Amram quadraginta : inde ad genitum Mosè septuaginta. Mosès verò octoginta annorum erat quando populus Israël egressus est de Ægypto. Isti autem omnes numeri simul positi efficiunt summam ducentorum quindecim annorum.



Anni mundi	<i>Tabula tertia mundi etatis.</i>	Anni ante Christum
2083	Abraham 75. annorum erat cum ex Charan profectus est in terram Chanaan ut patet ex Genesis 12. v. 4.	1921
2108	A Professione Abraham ad nativitatem Isaac, anni sunt 25. ex Genesis 21. ver. 5.	1896
2168	A Nativitate Isaac ad nativitatem Jacob anni sunt 60. ex Gen. 25. ver. 20. & 35. ver. 28.	1836
2298	A Nativitate Jacob ad ejus descensum in Ægyptum anni sunt 130. ex Genesis 47. ver. 9.	1706
2315	A Descensu Jacob in Ægyptum ad nativitatem Caath filii Levi anni sunt 17.	1689
2355	A Nativitate Caath ad nativitatem Amram anni sunt 40.	1649
2439	A Nativitate Amram ad nativitatem Mosis anni sunt 78.	1571
2517	A Nativitate Mosis ad exitum de Ægypto, anni sunt 80. ex Exodi 7. ver. 7.	1491

Summa totius tabulæ anni 430.



DISSERTATIO TRIGESIMA TERTIA
DE QUARTA MUNDI

Ætate, ab egressione nimirum Israëlitarum, usque ad Templi Salomonis adificationem.

CIRCA hujus ætatis durationem, (quæ initium sumit ab egressu Israël de Ægypto, & definit in anno quarto Salomonis, seu initio ædificationis templi, ut habetur tertio Regum cap. 6.) tot sunt authorum sententiæ, ut nulla sit in totâ Scripturâ difficultas, quæ tot & tam diversas opiniones pepererit. Licet enim Scriptura expresse definiat, loco citato, hanc ætatem fuisse duntaxat quadringentorum septuaginta novem annorum, dum ait: *Et factum est quadringentesimo octuagesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, ipse est mensis secundus Regni Salomonis super Israël, ut ædificare inciperet domum Domino.* Quia tamen Apostolus Actorum 13. videtur asserere tempus Judicium à morte Josuë usque ad Samuëlem fuisse quadringentorum quinquaginta annorum: hinc est quòd omnes ferè, qui de rebus chronologicis hucusque scripserunt, unanimi consensu asseruerint, hujus ætatis spatium, ultrà tempus assignatum esse protrahendum. Et quia in spatio, ut iis quidem videtur, libero, suo quisque genio indulget, suasque rationes sequitur, tot ferè sunt diversæ sententiæ, quot sunt authores. Alii enim ut Severus Sulpicius hist. sacr. lib. 1. errorem irrepsisse in librum tertium Regum suspicati, illud quingentorum octoginta octo annorum fecerunt. Alii, eodem fundamento nixi, sexcentorum octoginta, ut Serrarius in lib. 3. Regum; vel quingentorum octoginta, ut Ludovicus Capellus, chron. sacræ tab. 9. numerantur.

merarunt. Alii, ut Melchior Canus lib. ii. locorum Theolog. cap. 5. hanc ætatem quingentorum nonaginta annorum cum Josepho conficiunt. Alii, ut Laurentius Codomanus, exitum de *A*gypto usque ad partitionem terræ continuantes, huic ætati quingentos quinquaginta octo annos assignant. Alii, ut Michaël Moestlinus, eandem rationem secuti, hanc ætatem intrà annos 592. includunt. Alii, ut Dyonisius Petavius, & Petrus Possinus, per istum exitum Israël de *A*gypto quadraginta tantum peregrinationis annos intelligentes, ætatem integram 520. annorum esse definiunt. Alii, ut Nicolaus Abram, eundem exitum ultrà septem annos protrahentes, 527. annos ætati tribuunt. Alii, ut J. Volterus 620. annos statuunt. Alii, ut Pezeronus tempus Moïsi ad Inachi sæculum referentes hanc ætatem in tantum augment, ut eam ferè duplo majorem faciant quàm in Scripturâ statuatur; cum ejus durationem ad 873. annos extendant. Alii denique, loco citato tertii Regum inhærentes, chronologiæ in eo statutz insistendum, & locum Apostolice aliter intelligendum esse, contendunt.

Quamvis autem, ex tantâ opinionum varietate, satis appareat, hanc quæstionem satis perplexam & implicatam esse: nihilominus ea nobis probabilior videtur & Scripturæ conformior quæ 479. annos statuit.

Primò enim, hoc spatium expressè notatur in Scripturâ; proindèque, modò locus Actorum 13. cum hoc tertii Regum conciliari possit, nemo est qui non videat hanc sententiam cæteris longè esse præferendam: atqui locum Apostoli facilè explicari, & componi posse cum hâc sententiâ, infrâ ostendemus.

Secundò. Quia ne levis quidem suspicio esse potest, hunc annorum numerum à scribis seu amanuensibus immutatum fuisse: cum non solum omnes manuscripti còdices, tam antiqui quàm recentiores, sed etiam omnes antiquæ versiones, eandem absque ullâ varietate lectionem nobis repræsentent, & ita omnes Sancti Patres constanter semper legerint.

Tertiò. Quia hic calculus facilè conciliatur cum iis quæ

Scriptura refert de generationibus , quæ à Josuë usque ad Davidem effluxerunt. Scriptura enim tres tantum generationes recenset , nimirum Booz , Obed , & Jesse , qui fuit Pater Davidis , cum tamen inter utrumque tempus plusquam 350. anni reperiantur. Si enim supponamus Salmon , qui tempore Josuë adhuc erat juvenis , quadraginta duobus annis post ingressum in terram Chanaan , genuisse Booz hunc autem anno 102. genuisse Obed , qui genuerit Jesse anno ætatis centesimo undecimo ; pari verò anno Jesse genuisse Davidem ; nihil omninò incredibile aut admodum difficile à nobis proferetur. Præterquam enim hujusmodi generationum exempla nostris etiam diebus non desunt , ut refert Usserius de majori Britannia , & nos aliquâ ex his Provinciis possemus addere ; certum est istis temporibus , de quibus agimus , homines diutiùs adhuc vixisse , quam nunc vivant ; cum ferè omnes , quorum Scriptura refert ætatem , ad centesimum annum propius accesserint , aut etiam ætatem illam superaverint. Constat etiam ex eadem Scripturâ , Booz fuisse omninò senem , cum genuit Obed ; & Jesse pariter fuisse senem grandævum quandò Davidem genuit. Nihil itaque difficultatis faciunt istæ generationes , in nostrâ sententiâ. At in eorum calculis qui hanc ætatem , ad majus annorum spatium protrahunt , prorsus inexplicabilis est ista series generationum , & ita difficilis ipsis adversariis videtur , ut Lyranus , & nonnulli alii eum secuti , ad istud delirium confugerint , ut tres fuisse Booz comminiscerentur ; quorum primus fuerit filius Salmon , tertius verò Pater Obed. Quod certè si non est ludere de Scripturâ , quæ tribus in locis generationes istas recenset , nec ullibi nisi unius Booz meminit , quodlibet commentum Scripturæ verbis facile poterit superstrui. Itaque cum in unâ nostrâ sententiâ difficultas illa possit superari , dubium esse non potest quin ea sit cæteris omnibus anteponenda. Undè superest ut ad eam magis confirmandam tam cum verbis Apostoli Actuum 13. quam cum libro Judicum eam conciliemus.

Quòd itaque spectat ad locum Apostoli Act. 13. ubi dicitur Deum dedisse Judices per annos quadringentos

quingenta usque ad Samuelem, facile cum nostrâ sententiâ conciliabitur, si ista ætas, ad tempus quod Judices præcessit, non ad tempus Judicum referatur; ita ut sensus sit: à tempore quo Deus per nativitatem Isaac, elegit Patres nostros, ut in Isaac vocaretur Abrahamæ semen, eos peculiari modo servavit, & in Ægypto auxit, postmodumque eos ab Ægyptiâ servitute eruens, terram promissionis eis partitus est post 450. annos. Dehinc verò dedit Judices usque ad Samuelem. Ut autem verba Apostoli sic intelligantur, facit primò constans lectio omnium exemplarium & versionum libri tertii Regum, quæ, ut modo diximus, nonnisi 479. annos completos exhibent ab Exodo usque ad initium ædificationis templi. Secundò, quòd istâ lectione admisâ, nulla supersit in hâc ætate distribuendâ difficultas. Tertiò quòd à nativitate Isaac usque ad terræ divisionem à Josuâ factam, totidem reperiantur anni, quot assignantur ab Apostolo nimirum 450. Quartò quòd Vulgata eodem modo sensum Apostoli nobis representet: sic enim habet: *Deus plebis Israël elegit Patres nostros & plebem exaltavit..... & destruens gentes septem in terra Chanaan sorte distribuit eis terram eorum quasi post 450. annos; & post hæc dedit Judices usque ad Samuelem.* Quibus verbis nihil clarius esse potest pro nostrâ expositione asserendâ. Quintò denique quia etiam textus Græcus, in editione Roberti Stephani, quæ judicio eruditorum, optima est omnium, & in nonnullis antiquissimis codicibus, ut in Cantabrigiensi, quod olim Bezae fuerat, in Alexandrino, & in Velezianis, eodem modo habetur, quo in Vulgatâ; nimirum: *κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν, καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτισι τετρακοσίαις καὶ πενήκοντα ἔδωκε κρίτας ἕως Σαμουὴλ τῷ προφῆτι.*

Jam verò, ut hic noster calculus, cum libro Judicum concilietur, nihil aliud requiritur, nisi ut anni quietis & Anarchiæ in annis cujuslibet Judicis numerentur, ita ut, cum refertur v. g. terram quievissè annis quadraginta sub Othoniele, sensus sit, quietem illam ab Othoniele partam esse, anno quadragesimo ab eo tempore, quo sub Josuë devictis quinque Regibus primùm quieverat. Si enim ex annis, qui

in lib. Judicum referuntur, sic computatis, summa conficiatur, numerus 480. in libro tertio Regum notatus, faciliè reperietur. Proindè dubitari non debet, quin ita sit intelligendum.

Id autem confirmatur primò ex ætate Othonielis fratris Caleb: faciliè enim intelligitur eum supervivere potuisse aliquandiù senioribus Israël, & liberasse populum suum, anno quadragesimo à partitione terræ, seu ab extinctione Regum Chananæorum, suisque etiam aliquandiù præfuisse. At incredibile omninò est eum, juxtà adversariorum sententiam, præfuisse quadraginta annis, post mortem Josué, & omnium aliorum, qui unà cum Othoniele Josuæ supervixerunt. Cum enim constet Othonielem jam fuisse strenuum bellatorem, tempore partitionis terræ, ut patet ex Josué 15. & Judicum 1. fateri necesse est, eum jam tunc temporis, triginta saltèm annis natum fuisse, quibus si addantur viginti septem, quibus volunt nonnulli, Josuam populo præfuisse; deindè totidem, vel etiam ampliùs, quibus seniores post Josuam præfuerunt, postremòque quindecim, aut etiam ampliùs, tàm Anarchiæ, quàm servitutis, dicendum erit, Othonielem fuisse centenarium, quando bellum adversùs Mesopotamiæ Regem aggressus est, transactoque bello, usque ad centesimum quadragesimum annum, populo præfuisse. Quis autem credat, Othonieli centenario in animum venisse, ut bellum aggredereetur; aut populo ut ducem centenarium, id est ætatis decrepitæ sequeretur. Certè multò verisimilior cuilibet videbitur ea sententia, quæ id muneris ei tribuit, cum corpore adhuc vegeto, & ad bellum aggrediendum satis robusto esset, qualem cum adhuc fuisse quadragesimo anno à divisione, nemo negabit.

Confirmatur secundò, ex eo quòd satis clarè insinuet Scriptura servitutis annos in ipsis Judicum annis includi. Nam Judicum quartò dicitur, quòd Debora judicabat populum, eo tempore, quo Jabin Rex Chanaan cum servitute opprimebat. Statim enim postquam Scriptura commemoravit servitutem, quâ eos opprimebat spatium viginti an-

norum subdit : *Erat autem Debora prophetis uxor Lapidoth qua judicabat populum in illo tempore : sedebatque sub palmâ ascendebantque ad eam filii Israël in omne iudicium. Quae misit & vocavit Barac filium Abinoës &c.* Clariùs adhuc rem eandem exprimit Scriptura , de Samsonè loquens ; disertè enim asserit Samsonem judicasse populum , *in diebus Philistinum* , viginti annis. Cum igitur expressè de duobus illis asserat Scriptura , eos judicasse , ipso tempore servitutis , falsum est , quod asserunt adversarii , tempora servitutis à temporibus Judicum esse distinguenda : proindèque corrui eorum sententia.

Unum tamen est , quod scrupulum facere posset in sententiâ nostrâ , nimirum quòd Scriptura , dum annos iudicum refert , non dicit terram quievissè tali anno v. g. quadragesimo ; sed absolutè , quievissè *quadraginta annis*. Verùm præterquàm epocha libri tertii Regum , & aliæ rationes adductæ , modum nostrum computandi sufficienter probant , sciendum est , quòd licet in Vulgatâ ita translatum habeatur , nihilominùs voces hebraicæ nostram expositionem facillè admittant , ut notat Franciscus Ribera lib. 1. de Templo cap. 1.

His ita statutis , id unum nobis superesset , ad hujus ætatis quæstionem absolvendam , ut numerum annorum 479. in suas partes distribueremus & singulas in tabulâ exhiberemus. Sed quia doctissimus Pezeronus , nuper sibi vilus est invicta argumenta protulissè , pro antiquitate temporum restituendâ , & hâc potissimum ætate mirum in modum dilatandâ , operæ pretium est , in ejus hypotesi discutiendâ paulò diutiùs immorari , & singulas ejus rationes æquâ iudicii lance , juxtâ Scripturæ auctoritatem ponderare.

Contendit itaque vir doctus , hanc ætatem mirum in modum decurtatam esse , ab omnibus qui hætenùs de rebus chronologicis scripserunt ; cum enim omnes , quingentos tantum , aut ad summum circiter sexcentos annos ei tribuant ; non dubitat vir eruditus , eidem octingentos septuaginta tres annos assignare. Duplici autem ejus sententia nititur fundamento.

Primum est, quod omnes antiqui, tam Pagani, quam Judæi, aut Christiani, qui de Mosis ætate, ante Eusebium locuti sunt, eum Inacho coævum fecerunt, non Cætopi, ut præstiterunt plerique, qui post quartum sæculum de hisce rebus egerunt, Eusebii errorem secuti.

Secundum, quod Josephus & Philo testentur Legis tempus, seu durationem, fuisse annorum bis mille: idemque confirmetur ex antiquâ traditione domus Eliæ, ut in Talumde commemoratur. Atqui, ait vir doctus, nec Lex durasset duobus annorum millibus, nec Moyses Inacho fuisset coævus; nisi hæc ætas, plusquam octingentorum annorū esset. Cum enim certum sit, à condito templo, ad nativitatem Christi, non effluxisse mille & centum annos, nunquam posset demonstrari, aut verificari, Legem durasse duobus annorum millibus, usque ad tempora Josephi, nisi spatium, quod à tempore Legis datæ, usque ad templi ædificationem intercessit, fuisset circiter nongentorum annorum. Sed neque etiam demonstrari posset, Mosen fuisset Inacho coævum, quod omnes veteres testantur: siquidem Inachus, ex omnium consensu, ferè nongentis annis templum præcessit. Ergo pro certo haberi debet, hanc ætatem, octingentorum septuaginta trium annorum fuisse, quot requiruntur ad duas illas epochas conciliandas. Ita ferè Pezeronus.

Sed, pace viri docti dixerim, ejus sententia, neque invictis, ut putat, argumentis, nititur; ut infra ostendemus: neque cum Scriptura satis cohæret. Immo verò, certis ab eadem Scripturâ, ductis argumentis, multimodè impugnari potest.

Primò enim epocha tertii Regum, eam penitus convellit: siquidem hanc ætatem, duntaxat quadringentorum septuaginta novem annorum facit: cum tamen juxtà Pezeroni calculum, ferè duplo majus spatium debuisset ei assignare. Neque valet ejus responsio, dum contendit Scripturam Sacram, fausta duntaxat tempora, in hoc numero computasse; ut moris tunc erat Orientalibus populis, & ipsi Scripturæ familiare. Primò enim eam apertè excludunt

Scripturæ verba , quæ sic se habent : *factum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti , in anno quarto mense Zio : ipse est mensis secundus regni Salomonis , super Israël , edificari capit domus Domino.* Cum enim ibi asseratur istam epocham & summam continere numerum annorum , qui effluerunt ab Exodo , ad ædificationem templi , id de solis annis prosperitatis intelligere , non de omnibus indiscriminatim , hoc non est Scripturam exponere , sed , ut verum dicamus , Scripturæ illudere est. Quid enim aliud est quàm Scripturis illudere , earum verba sic exponere ; ut dum clarè recensent temporis spatium , quod inter duo extrema effluxit , additis etiam mensibus superfluis ; ex earum tamen verbis , impossibilè sit deprehendere , quot reverà inter utrumque spatium anni & menses intercefferint. At quis , dum verba Scripturæ modo relata legerit , poterit suspicari non 479. annos . sed 873. ab Exodo usque ad templi ædificationem intercessisse ? Secundò , quidquid sit de Orientalibus populis , falsum est istum modum numerandi , Scripturis familiarem esse ; aut ullum exemplum talis calculi , ex iis proferri posse : immò contrarium , multis exemplis comprobari potest. v. g. Corruptio generis humani , per annos plusquam ducentos ante diluvium , quamvis tempus valdè infaustum fuerit ; nihilominùs in Scripturâ , æquè ac alia tempora , numeratur. Ipsa diluvii duratio exactè refertur. Post diluvium verò , totum tempus captivitatis Ægyptiacæ in Exodo computatur. Item in libro Numerorum , tempus quadraginta annorum , quibus Israëlita erraverunt in deserto , ibique mortui sunt. In libro Judicum , tempus quo diversis regibus Israëlita servierunt. In libris Regum tempus quo Israëlites Reges , & plerique Reges Juda , etsi non minùs impii , quàm Salomon ultimis regni annis fuerit , recensentur. In libris Prophetarum tempus captivitatis Babylonicæ. In libris Machabæorum , tempus afflictionis Judæorum , ab Antiocho & aliis. Denique ista omnia tempora , non minùs apud Josephum quàm in Scripturis notata reperiuntur. Falsum est igitur , quod asserit vir doctus , morem Scrip-

turæ , & Orientalium esse , infausta tempora penitus reticere ; ac proindè falsum Scripturam 3. Regum 6°. non omnia tempora , quæ ab Exodo fluxerunt , numerare voluisse.

Secundò Pezeroni calculus cum Jephthe Galaaditæ calculo , ab eo evidenter in libro Judicum relato , conciliari non potest ; imò confutatur. Cum enim Jephthe , Judicum undecimo , disceptaret cum Rege Ammonitarum , graviter ferente , Israëlitas possidere terram Amorrhæorum , quam ad se pertinere contendebat ; Jephthe ex diuturnâ possessione terræ illius , à filiis Israëli , qui eam tulerant ex Amorrhæis , præscribebat contrà jus allegatum , à Rege filiorum Ammon , tempusque illius possessionis , quantum poterat extendens , ut par est credere , prout omnibus præscribentibus consuetum est , assererat jam à trecentis annis , terram illam ab Israëlitis possessam fuisse. At , si verus esset Pezeroni calculus , non debuisset Jephthe , trecentos tantum annos , sed sexcentos allegare. Quis autem credat Jephthem , contrà Ammonitas præscribentem , cum posset sexcentos possessionis annos , contentum fuisse , trecentos tantum commemorare ? Quis igitur non videat multò minorem , id est totis ad minus trecentis annis , esse calculum Scripturæ , calculo Pezeroni : Proindèque hunc calculum rejiciendum esse ; ut potè falsis & Scripturæ repugnantibus nixum fundamentis ?

Tertiò. Confutatur idem Pezeroni calculus , ex genealogiâ Davidis , quæ saltè tribus in locis Scripturæ refertur ; nimirum Ruth ultimo , 1 Paralip. 2°. & Mathæi 1. his verbis : *Salmon genuit Booz , Booz genuit Obed , Obed genuit Isai , Isai genuit David.* At certum est , Salmon non genuisse Booz , nisi post terræ partitionem ; siquidem genuit Booz de Rahab meretrice ; proindèque constat tres tantum reperiri generationes , inter Salmon & Davidem. At numerus iste generationum , nunquam conciliari poterit , cum calculo Pezeroni. Nam juxtà rationes ejus , inter natum Booz & natum Davidem , intercesserunt ad minus septingenti quinquaginta anni ; proindèque dicendum esset , juxtà ejus computum , Booz annos natum ducentos quinquaginta , genuisse Obed. Similiter Obed pari anno genuisse Jesse : ac denique

denique Jesse pari annorum numero Davidem procreasse. Quis autem non videat, ridiculum esse, statuere tres istos Patriarchas anno ætatis ducentesimo quinquagesimo, potuisse gignere; cum tunc temporis, nullus ad centesimum quinquagesimum saltè annum vixisse reperiatur, ætasque vulgaris hominum, paulò post ista tempora, esset tantum septuaginta aut octoginta annorum.

Neque respondere potest Pezeronus, Scripturam generationes aliquas præteruisse. Præterquàm enim id gratis omninò, & contrà Scripturæ autoritatem, assereretur: cum in omnibus locis, quibus Scriptura genealogiam istam recenset, non plures quam tres illas recenseat; facillè etiam confutari potest ex aliis genealogiis, quæ in libro Paralipomenon referuntur. Nam 1. Paralip. 6. Ab Aaron usque ad Sadoch, qui tempore Davidis Sacerdotio fungebatur, novem tantum generationes referuntur. A Levi autem usque ad Etan qui eodem tempore florebat, tredecim tantum recensentur: atqui juxtà Pezeroni calculum à Phinees usque ad Sadoch octingenti saltè anni effluerunt, à Levi autem usque ad Etan circiter mille centum. Dicendum igitur erit, si Pezerono credamus, istos omnes aut centenarios aut ferè centenarios genuisse; quod cum nemo non videat, in tantâ temporum serie, totque secutis generationibus, vix esse possibile; apparet Pezeroni subterfugium, ridiculum esse & falsum, cum asserit in genealogiâ Davidis generationes esse omissas.

Quartò confutatur etiã idem calculus ex ætate Othonielis, quem constat, juxtà Pezeronum, judicasse Israëlem quadraginta annis, post primam oppressionem. At juxtà eundem authorem initium judicaturæ ejus contigit annis centum viginti post ingressum in terram Chanaan. Negari autem non potest, quin tempore ingressûs illius, Othoniel quem Scriptura fratrem Calebi appellat, strenuumque bellatorem ostendit, natus fuerit saltè triginta aut circiter annis: proindèque dicendum erit Othonielem centum quinquaginta annis natum, bellum aggressum esse, postmodumque quadraginta annis suo populo præfuisse. At tempus istud

convenire non posse cum ætate quâ tunc vivebant homines , nequidem ipse , ut puto , diffitebitur Pezeronus. Ex quo fateri cogetur , calculum à se confectum stare non posse.

Porro ex his omnibus satis liquet , systema Pezeroni , quoad hanc ætatem , nullatenus posse subsistere , aut cum Scripturis conciliari : ac consequenter , falsa esse argumenta , quibus illud systema conatur adstruere. Non esset itaque necesse , in iis confutandis diutiùs immorari. Sed quia difficile non erit eorum falsitatem , aut saltèm incertitudinem , aliundè etiam demonstrare : ideò pleniorum eorum discussionem hic aggredi non pigebit. Itaque

Ad primum argumentum respondeo , verum quidem , id traditum esse à Josepho & aliis veteribus , dum contra paganos disputarunt : sed à plerisque eorum absque ullo examine admittum. Josephus quidem , id asseruit in libris contra Appionem ; sed aut id præstitit , ut fictâ illâ antiquitate , gentis suæ antiquitatem magis extolleret ; præsertim cum ibidem inferat Mosè præcessisse bellum Trojanum annis ferè mille , quod falsum esse nec ipsemet Pezeronus diffitebitur : aut ibi usum esse contra Appionem argumento , ut vocant , ad hominem. Cum enim plerique gentilium scriptores , qui de Mosè locuti fuerant , eum Inacho æqualem fecissent , eo quòd in Scripturâ divinâ , præsertimque in chronologiâ , non satis essent versati : Josephus , eorum testimonio nixus , ipsi hanc tribuit antiquitatem , quòd faciliùs Appionis temeritatem & imperitiam argueret. Sed dum idem Josephus in suis antiquitatibus , singulas singulorum ætates paulò severiùs , & magis historicè discutit , satis ostendit parùm fundatam esse , imò fictitiâ illam antiquitatem. Tantùm enim abest , ut Moysen statuatur mille annis ante bellum Trojanum ; vel saltèm nongentis ante templum Salomonicum , & in temporibus Inachi : ut è contra constanter statuatur libro 8.º cap. 2.º inter Exodum & templi ædificationem , non intercessisse plusquam quingentos nonaginta duos annos. Insuper cum juxtâ Pezeroni chronologiam inter Inachi & Samuëlis tempora , octingenti anni numerentur ,

Josephus è contrà libro 5°. numerat tantùm circiter quingentos. Præterea idem author, ab ingressu Abrahami in terram Chanaan, ad quartum Salomonis annum, numerat annos mille viginti; cum tamen numerare debuisset plusquàm mille trecentos, si Moysen Inacho æqualem fecisset. Denique lib. 10. cap. 11. templum, quod juxtà ipsum, stetit annis quadringentis septuaginta, statuit eversum annis post Exodum 1062. Atquì ab Inachi tempore, usque ad illam everisionem, intercesserunt juxtà Pezeronum, plusquàm mille trecenti quinquaginta anni: ergo pro certò haberi debet, Josephum nullatenus putasse, Moysen Inacho æqualem fuisse; dumque id contrà Appionem assererat, vel aliud cogitanti id elapsum esse, vel studio partium & antiquitatis suæ gentis id asseruisse, vel argumento ad hominem usum esse: vel denique in errorem ex hoc inductum, quòd pastores, de quibus Manetho loquitur, Israëlitas esse putaverit: cum tamen sola lectio Manethonis abundè sufficiat, ad contrarium statim persuadendum. Enimvero pastores isti, juxtà Manethonem, statim Memphiticum regnum invaserunt, cum exercitu ducentorum quadraginta mille hominum, plures Reges habuerunt, per annos quingentos, Ægyptios servitute oppresserunt, & tributarios fecerunt; tandemque longâ obsidione victi exire compulsi sunt. Quæ omnia Israëlitis convenire non possunt.

Porro ex his patet etiam responsio ad secundum argumentum. Si enim Josephus ab Exodo ad templi ædificationem non plures annos quàm quingentos nonaginta duos numeravit, ut modò probatum est; clarum est etiam, nec id ipse diffitebitur Pezeronus, eum non potuisse bis mille annos Legi tribuere, cum juxtà ejus calculum, vix 1600. reperiantur. Nihilominus adversus istam Pezeroni objectionem, & tantam Legis durationem, aliam adhuc probationem suppeditat nobis idem Josephus, in libris de bello Judaico. Refert enim lib. 4°. cap. 31. urbem Chebron seu Hebron, esse antiquissimam omnium urbium Idumæ, imò etiam Memphicorum antiquiorem; cum ab annis bis mille trecentis ædificata esset: subditque Abrahamum, cum primùm venit

in terram Chanaan, in eâ habitasse. Quod totum confirmat, ex superstite tunc temporis inscriptione marmoris insculptâ & gemmis ornatâ, quæ in eâdem urbe visebatur. Ex hac enim epochâ apertè colligitur, Legem non potuisse durare bis mille annis ante Josephum. Nam primò, certum est inter peregrinationem Abrahami, & Legem datam, intercessisse quadringentos triginta annos, ut suprâ ostendimus. At etiamsi urbs illa Abrahami profectio non fuisset antiquior, cum ab ejus ædificatione ad Josephum essent tantùm bis mille trecenti anni, sequeretur Legem juxtâ illud computum non potuisse durare nisi mille octingentis septuaginta annis: ergo &c. Secundò, certum est ex illâ Josephi narratione, urbem illam fuisse multò antiquiorem Abrahamo; siquidem in eâ habitavit, & jam ante Memphim ædificata erat. Atqui juxtâ rationes Pezeroni, Memphis ædificata est ferè quingentis annis ante Abrahamum, juxtâ nostras verò, plusquàm ducentis quinquaginta: ergo tantùm abest juxtâ Josephi narrationem, & epocham ejus tempore marmoris insculptam, ut Lex durarit bis mille annis, usque ad Josephum; ut è contrâ, dicendum esset, juxtâ rationes Pezeroni huic narrationi applicatas, nequidem mille quadringentis annis durare potuisse: juxtâ nostras verò circiter mille sexcentis. Quod satis etiam demonstrat Josephum nostram sequutum esse supputationem; non eam quæ ipsi à Pezerono tribuitur.

Fatendum est ergo, Josephum, dum alibi asseruit Legis tempus fuisse bis mille annorum, aut parùm sibi attendisse, aut nimiam antiquitatem jactasse, aut, quod probabilius est, Legis initium desumpsisse ex Lege Circumcisionis Abrahamæ datâ annis circiter bis mille ante Josephum; idemque de Talmudistis satis commodè dici potest. Quod autem spectat ad Philonem; cum apertè profiteatur, se tempus datæ Legis ignorare, & aliundè certum sit, cum rerum Judaicarum parùm fuisse peritum; non est quod in ejus testimonio confutando diutius immoremur.

Cæterùm omnes veteres, qui ea de antiquitate Mosis & Legis protulerunt, quæ refert vir doctus; vel ea desumpse-

runt ex Josepho, vel ex Gentilibus historicis, antiquitatum Hebraicarum prorsùs ignaris; proindèque nullius ponderis esse debent. Sed tempus est ut hanc ætatem in singulas partes dividamus.

Cum verò, præter rationem computandi à nobis suprâ memoratam quam sequitur Jacobus Usserius, aliam non minùs concinnam, nec minùs verisimilem exhibeat Joannes Marshamius, supponendo nimirùm, neque servitutes omnes, de quibus loquitur liber Judicum, fuisse successivas; sed alias aliis fuisse *συγχρότως*; neque omnes Judices totum Israël semper judicasse; sed quandoque plures Judices, diversas populi partes, eodem tempore, judicasse; quod satis verisimile judicabit, quisquis librum Judicum attentè legerit: ideò antequàm hanc quartam mundi ætatem juxtâ Usserii calculum exhibeamus; istam Marshamii sententiam, quâ cunctæ difficultates quæ ex Judicum successione oriuntur, facillè cum nostrâ epochâ conciliari possunt, indicandam judicavimus: ut si cui magis arriserit, eam adire possit, apud eundem Marshamium, in Canone Hebraico, edito Lypsæ, anno 1696.



Schema Chronologicum quartæ mundi ætatis.

Anni mundi		Anni Judicū	Anni ante Christum
2553	Ab exitu Israëliitarum de Ægypto ad ingressum in terram Chanaan anni sunt. - - -	40	1451
2559	Indè ad finita bella & ad quietem datam à Josuâ anni sunt. -	6	1445
2599	Indè ad quietem per Othonielem anni sunt. - - -	40	1405
2679	Indè ad quietem per Aod datam occiso Eglon Moabitarum Rege anni sunt. - - -	80	1325
2719	Indè ad quietem per Deborah & Barac, occiso Jabin Chananæorum Rege anni sunt. -	40	1285
2759	Indè ad quietem per Gedeonem Madianitis devictis anni sunt. -	40	1245
2768	Indè ad initium regni Abimelech filii Gedeonis anni sunt. -	9	1236
2816	Abimelechi, Tholæ & Jairi anni sunt. - - -	48	1188
2822	Jephtæ anni sunt. - - -	6	1182
2848	Ipsan, Elon & Abdonis anni sunt.	25	1157
2887	Samsonis & Heli anni sunt. -	40	1117
2908	Samuëlis anni sunt. - - -	21	1096
2949	Saülis Regis anni sunt. - -	40	1055
2993	A morte Saülis ad jacta fundamenta templi anni sunt. - -	44	1012

Summa annorum.

479.

DISSERTATIO TRIGESIMA QUARTA
DE QUINTA MUNDI

*Ætate, ab initio ædificationis Templi,
ad ejusdem destructionem.*

LICET, in hâc ætate constituendâ, non sit tanta varietas sententiarum, quàm in superiori; neque tanto temporis spatio inter se distent authores: est tamen adhuc aliqua inter eos diversitas. Alii enim, ut Pezeronus, Josephi chronologiam secuti, & octoginta annos regno Salomonis tribuentes, eam quadringentorum septuaginta annorum faciunt. Alii ut Isaacus Vossius, quadringentorum triginta annorum, esse definiunt. Alii, ut Jacobus Usserius quadringentorum viginti quatuor annorum esse volunt. Alii denique ut Joannes Marshamius ad annos quadringentos eam restringunt. Sed quia nimis tædiosum, & parùm utile esset, uniuscujusque rationes & calculum hic referre, & discutere, cum aliundè distantia non sit multorum annorum: ideò cæteris omiſſis, Usserianum computum hic sequemur; postquàm Pezeroni sententiam de annis regni Salomonici paucis discussimus.

Itaque, contendit vir doctus, necessariò admittendum esse juxtâ sententiam Josephi, Salomonem non quadraginta annis, ut Scriptura disertè affirmat, sed octoginta annis regnasse; hancque sententiam, non solùm Scripturæ contrariam non esse nisi in speciem; sed etiam, ex iis quæ Scriptura de Salomone refert, eam necessariò elici. Probat autè suam sententiam, primò, tum ex maximâ Josephi eruditione & diligentia: tum ex securitate quâ diversis in locis ætatem illam Salomoni tribuit. Secundò ex eo quòd Scriptura refert, cor ejus depravatum fuisse in senectute per

mulieres; cum tamen senectus, nequaquam ei tribui potuisset, si quadraginta tantum annis regnasset: siquidem tota ejus vita, quinquaginta duobus annis concluderetur. Tertio ex aetate Roboami, qui ut refert Scriptura, quadraginta annorum erat, quando Salomon mortuus est. Quis enim sibi persuadeat, Salomonem undecim annos natum filium gignere potuisse? Quis credat jam tum duxisse uxorem Ammonitidam. Quandoquidem Scriptura refert, tunc primum cum adamasse mulieres Ammonitidas, cum senex factus est? Ex quibus concludit vir doctus, melius esse, & historię Sacrę convenientius statuere, Salomonem octoginta annis regnasse, quàm quadraginta. Sed his viri docti conjecturis apertè refragatur Scripturę divinę autoritas; quę cum non plures quàm quadraginta annos Salomonis regno tribuat, temerarium videtur, ex meris conjecturis contrà perspicuum ejus testimonium, hunc numerum duplicare. Respondet quidem vir doctus, ut ab hęc difficultate se se expediat, ideò Scripturam quadraginta duntaxat annorum fecisse mentionem, quia hos annos piè & sanctè transegit Salomon; ceteros verò omisisse, quia in impietatibus & impudiciis eos consumpsit; prout ei consuetum est in aliis locis, talia tempora penitus omittere. Sed hanc responsionem superiùs abundè confutavimus. Et certè ejus falsitas, in libris Regum manifesta est; nam plerique Reges Juda feliciter auspiciati, infeliciter ultimos regni annos in impietate transegerunt: vel infeliciter auspiciati, feliciter obierunt: vel denique totum tempus regni in impietate consumpsērunt. Cur ergo eorum omnium annos refert Scriptura? Cur in iis, qui partim piè, partim impiè regnarunt, non idem præstitit quod in Salomone? Cur v. g. ultimos annos Joas, & priores Manassis, non omisit? Si id in Salomone egit ex consuetudine Orientalium, cur non idem etiam egit in aliis Regibus? Aut quomodo asseri potest, id eam egisse in Salomone, cum certum sit in aliis Regibus contrarium omninò præstitisse? Maneat itaque certum, ex Scripturę testimonio, Salomonem non octoginta, sed quadraginta annis regnasse.

Porrò præter Scripturæ authoritatem, idem etiam apertè probatur ex chronologiâ Regum Tyriorum, à Josepho, ex Menandro relata lib. I. contrâ App. cap. 5.º quam quidem chronologiam Menander eodem Josepho teste, ex authenticis Tyriorum archivis hauserat. Constat enim ex 3.º Regum 16. Achab duxisse filiam Ethbaalis Regis Sydoniorum. At juxtâ Menandri calculum, Ethbaal, seu Itobaal regnare cœpit septuaginta tribus annis aut circiter, post initium regni Salomonis, & triginta tribus regnavit: ergo si Salomon regnasset octoginta annis, ut vult Pezeronus, Ethbaal ipso adhuc vivente regnare cœpisset, & cum eo septem saltè annis regnasset, consequenterque mortuus esset triginta sex annis ante initium regni Achab, quod contigit tantùm anno sexagesimo primo post mortem Salomonis; ac proindè nullatenùs verisimile esset, Achab ejus filiam in matrimonium duxisse: quod cum asserat Scriptura, eosque simul regnasse innuat, sequitur Salomonem, non octoginta, sed tantùm quadraginta annis regnasse.

Respondet Pezeronus, istum Ethbaal, de quo Scriptura loquitur, non fuisse Regem Tyriorum, sed tantùm Sidoniorum; hincque deceptum esse Josephum, quòd putaverit, unum Regem duabus urbibus præfuisse; cum tamen ex Jeremiæ 25.º & 27.º constet, Sidonem suos Reges peculiare habuisse. Sed præterquàm nomen & ætas istius Ithobaalis, satis ostendunt, ipsum esse de quo Scriptura loquitur plurimum ad hoc confert Josephi authoritas, qui cum Tyriorum archivos legisset ignorare non potuit, utrum tempore Salomonis, Tyriorum Reges Sidone etiam regnassent, proindèque nunquam asseruisset, eundem esse quem Scriptura Sydoniorum Regem facit; nisi id ex Tyriorum historiâ cognovisset. Sed & Menandri historia quam refert idem Josephus, loco citato, idem satis apertè insinuat; cum docet Hiram, adducto ad Tyrum exercitu, Tyrios coegisse, ut tributum, quod ipsi solvere recusabant, præstarent. Id enim satis demonstrat, eum aliã etiam ditionem præter Tyrum habuisse. At, quæ alia esse poterat præter vicinam Sydoniorum urbem? Malè ergo in

dubium revocatur , Tyriorum Reges utrique urbi tunc præfuisse ; licet postmodum utraque suos Reges peculiare habuerit. Et certè quòd Reges Tyri etiam Sidoniis præfuerint, præterquàm Esaias Propheta cap. 23. ruinam Tyriorum prædicens , apertè sub Tyriorum regno & ditione , Sidonios etiam comprehendit ; ut ex contextu capituli quilibet potest conspiciere : Menander à Josepho citatus lib. 9. antiq. cap. ult. apertè demonstrat Sydonem Tyro subiectam fuisse, cum refert in suis chronicis eam sub Elulæo Tyriorum Rege circà Salmanasaris tempora à Tyriorum ditione defecisse ad Assiriorum Regem. Ex hoc enim clarum est , & Sidonem ad ea usque tempora , Regibus Tyri subditam fuisse , & secutis temporibus , ab ejus ditione fuisse immunem : ex quo verisimile est , utramque urbem suam Regem consecutam fuisse , urbe Tyri in antiquâ possessione permanente , & Sidone Regem tributarium ab Assiriorum Rege consecutâ.

Ad rationes verò ab erudito viro allatas responderi potest : ad primam ; Josephi historiam ex sacris codicibus emendandam esse , non sacros codices ad normam historiæ Josephi , corrigendos : proindèque cum Scriptura disertè asserat , Salomonem non nisi quadraginta annis regnasse , Josephus non nisi per errorem contrarium potuit asserere.

Ad secundam , per senectutem Salomonis , intelligi ultimos vitæ illius annos , seu senectutem relativam non absolutam ; ut ipse Pezeronus fateri cogitur , cum Salomonis impietatem ab anno ejus quinquagesimo cœpisse statuit. Et certè nemo est , qui non videat , Salomonem , qui semper in voluptatibus & deliciis vixit , iisque incredibiliter addictus fuit , citiùs senescere debuisse , quàm Davidem , qui tamen cum necdum septuaginta annorum esset , jam prorsus ad generationem ineptus erat. Qui igitur fieri potuit , ut Salomon filius ejus , usque ad nonagesimum annum , juxtà sententiam viri docti , libidinibus suis indulserit , & in tantâ ætate vix mille mulieribus satiari potuerit ?

Ad tertiam , primò , incredibile non esse , Salomonem in ætate tam præmaturâ genuisse : siquidem legimus

4. Reg. 18. Ezechiam viginti quinque annos natum fuisse, cum Pater ejus Achaz, qui non amplius quam triginta sex annis in totum vixit, mortuus est. Et 4. Reg. 22. Josias refertur vixisse duntaxat triginta novem annis, & tamen Joachim tribus mensibus post mortem ejus, in regno succedens, dicitur fuisse viginti quinque annorum. Secundò probabilius esse, Roboam natum esse tantum annos sexdecim, cum mortuus est Salomon; prout in versione τῶν δέ legitur. Hanc autem lectionem veriore esse hinc confirmatur, quòd constet ex Scripturâ, Roboam tunc temporis fuisse adhuc maximè juvenem; siquidem refertur, cum neglecto seniorum concilio, junioribus *qui cum eo nutriti fuerant* adhæsisse. Si enim, tunc annos quadraginta natus fuisset; non in juniorum, sed in seniorum sententiam inclinasset. Ex quo patet, Roboam natum esse, duntaxat vigesimo quarto anno Salomonis, quo verisimile est, cor ejus jam fuisse depravatum, vel saltè ad mulieres alienigenas jam inclinatum.

Hâc igitur difficultate superatâ, tempus est ut Regum Judæ & Israël temporibus invicem conferamus, & secum invicem conciliemus. Ad quod non parùm juvat prænotasse annos Regum Juda, de quibus Scriptura meminit, ut plurimū esse annos completos: è contrâ verò annos Regum Israël, ut plurimum, duntaxat inchoatos. Itaque post mortem Salomonis, regnum Israëliticum in duas partes scissum est, & Roboamo quidem duæ, Juda nimirum & Benjamin, remanserunt; Jeroboamo verò aliæ tribus cesserunt. Porrò uterque simul, exceptis fortasse aliquot mensibus, regnare cœpit. Roboam 17. annis completis regnavit; siquidem Abia filius ejus successit anno 18. Jeroboam ineunte. Hic verò regnavit annis 22. sed ultimo duntaxat inchoato.

Abia igitur tribus annis completis regnavit, usque ad finem anni 20. Jeroboam. Sub cujus anni finem, Abia successit Afa, qui 41. annis completis, regnum Judæ tenuit. Hujus anno secundo, Nabad in regno Israëlítico, Jeroboamo patri successit, regnumque non nisi ad secundum annum perduxit. Huic successit Baza, qui regnum 24. annis tenuit,

nimirum ad 26. regni Asæ ; quo anno successit ei Ela , qui duobus tantum annis regnavit : siquidem interfecit eum Zamri anno 27. Asæ. Zamri autem non regnavit nisi septem diebus , quia populus , regnum contulit Amri ; à quo Zamri obsessus , seipsum in domo regiâ combuffit. Tunc autem schisma factum est in regno Israëlitico , aliis , Tebni Regem constituentibus , aliis , qui postea prævaluerunt , Amri sequentibus. Hoc autem schisma quatuor annis duravit. Quintò autem id est 31. Asæ , Amri solus regnare cœpit , & usque ad 38. Asæ inchoatum regnavit. Hocque modo intelligi debet , quod 3. Reg. 16. dicatur Amri regnare cœpisse anno 31°. Asæ , eique 12. anni regni assignentur , cum tamen ibidem Achab filius Amri dicatur patri successisse anno 38. Asæ. Si enim dicamus eum regnasse cum Tebni à 27°. anno Asæ , inveniemus quomodo 12. annis regnare potuerit , & tamen anno 31°. ejusdem Asæ solus regnare cœperit.

Anno itaque 38. Asæ , Achab mortuo patre regnare cœpit super Israë , regnumque perduxit usque ad annum 22^{um}. Hujus anno 4°. desinente Josaphat patri Asæ successit in regno Judæ , & 25. annis completis regnavit. Hujus anno 17°. Achab filium Ochoziam in societatem regni admisit , ac similiter Josaphat , eodem anno filium suum Joram , vicarium regni fecit. Sicque intelligendum est , quod 4. Reg. 3. dicitur Ochoziam Regem Israë , qui patri Achab , interfecto in Ramoth Galaad , successit anno Josaphat 18. regnare cœpisse anno secundo Joram Regis Juda. Similiter etiam quomodo Ochozias , qui ad summum , octo mensibus , post mortem Achab regnavit , dicatur tenuisse regnum annis duobus. Ochoziâ itaque defuncto , Joram filius ejus regnare cœpit super Israë , anno 18. Josaphat Regis Juda , ut habetur 4. Reg. 3. & regnavit 12. annis.

Josaphat verò anno 23°. regni sui , Joram filium suum , quem antea vicarium regni jam constituerat , in consortium regni adscivit. Hincque intelligi datur , quomodo Joram Rex Juda , qui anno 12. Joram Regis Israë mortuus est , ut habetur 3. Reg. 8. nihilominus octo annis regnaverit , ut ibidem dicitur.

Porro Joram Rex Juda morbo insanabili laborans, ultimo regni anno, filium Regem fecerat. Hincque intelligitur, quod 4. Reg. 9. dicitur eum regnare cœpisse anno 11°. Joram Regis Israël, cum tamen 4. Reg. 8. dicatur, successisse patri anno 12. Joram, & uno anno regnasse.

Itaque anno 12°. Joram Regis Israël desinente, & primo Ochoziæ Regis Juda, Jehu utrumque interfecit, & 28. annis regnavit super Israël. Interim in regno Judæ, Athalia, omnibus filiis Ochoziæ interfectis, uno excepto, quem Josabeth soror Ochoziæ, & uxor Joiadæ Pontificis furtim de cæde eripuit, ac in templo clàm enutrivit, regnavit 6. annis: 7°. autem anno Joiadas interfectâ Athaliâ, Joas septenni regnum restituit. Hic autem annis 40. regnavit in Jerusalem, ut habetur 4. Reg. 12.

Anno 23°. Joas Regis Juda, Joachaz patri Jehu successit, & 17. annis regnavit super Israël, ut habetur 4. Reg. 13. Anno autem 37. Joas Regis Juda, Joas filius Joachaz, in consortium regni, à patre assumptus est, duobus vel tribus annis, antequàm Joachas moreretur, 16. autem annis regnavit. Sic autem rem se habuisse constat ex 4. Reg. 13. ubi dicitur Joas Rex Israël cœpisse regnare 37°. anno Joas Regis Judæ.

Anno secundo Joas Regis Israël, mortuo Joas Rege Juda, Amasias filius ejus regnare cœpit in Jerusalem, & 29. annis regnavit, ut habetur 4. Reg. 14. Hujus Regis anno quarto, Joachas regni sui quinto, filium suum Jeroboam secundum, in regni consortium assumpsisse videtur: alioqui explicari non posset, quod 4. Reg. 15. dicitur Oziam seu Azariam regnare cœpisse anno Jeroboam vigesimo septimo, nisi fortè, errore librariorum, 27. obreplerint, pro 17. Hic porro, mortuo patre Joas, cœpit solus regnare, anno 15. Amasias Regis Juda, & quadraginta & uno anno regnavit, ut habetur 4. Reg. 14. Anno igitur 27°. Jeroboam Regis Israël, ab eo scilicet tempore, quo in consortium regni adscitus est; à quo verò solus regnare cœpit 17°. Ozias filius Amasias, regnare cœpit in Jerusalem, & annis 52. regnavit in Juda; ut habetur 4. Reg. 15. Cæterùm mortuo

Jeroboam Rege Israël, regnum in Anarchiam decidit, quæ duravit annis undecim ; siquidem mortuus est Jeroboam anno Ozia 26. ut ex summâ annorum regni ejus colligitur ; & Zacharias filius ejus qui sex mensibus regnavit, successisse dicitur anno 38^o. Ozia Regis Juda 4. Reg. 15.

Notandum verò hic obiter contra Rabbinos & Procop. Gaz. lib. 7. in Esa. Oziam sub finem vitæ, leprâ percussum fuisse, non verò circà annum 25. ut volunt. Cum enim Scriptura doceat per id tempus, quo Rex ægrotavit Joathan filium ejus regnum administrasse, id non potuit contingere circà annum 25 : eo enim tempore Joathan necdum natus erat ; siquidem ex 4. Reg. 15. constat, eum nonnisi 25. annis natum fuisse, cum mortuo patre regnare cœpit.

Anno 25. regni Ozia, circà ætatem numeratur prima Olympias vulgaris, quâ Chorebus victor extitit. Ex quo verò Iphitus ludos Olympicos restituit, vigesima octava numeratur.

Anno 28. Ozia, Zacharias, post regnum semestre, interfectus est coràm populo, à Sellum filio Jabes, qui & ipse post mensem, à Memaneche filio Gadi, Samariæ interfectus est, ut habetur 4. Reg. 15. Hic autem, cum uno anno anceps fuisset, obtinuit regnum à Phul Rege Affiriorum, quem Deus suscitaverat ad invadendam terram Israël. Quo obtento, regnare cœpit sub finem anni 39. Ozia, & decem annis regnavit, ut habetur 4. Reg. 15. Anno 50. Ozia Regis Judæ, regnavit Phaceia filius Manahem, & duobus annis regnavit, quibus transactis, Phaceia filius Romeliæ, eo interfecto in palatio regio, regnavit pro eo 20. annis à 52. Ozia. Anno secundo Phaceiæ filii Romeliæ Regis Israël, Joathan patri Ozia successit, & 16. annis regnavit. Hujus Regis anno quarto, vel ut alii volunt undecimo, Roma condita est 12. Kal. Maii.

Anno 17^o. Phaceæ desinente, mortuo Joatan, Achaz filius ejus regnare cœpit, & 16. annis regnavit in Jerusalem, ut habetur 4. Reg. 16. anno 20. Phaceæ, cum Achaz implorasset Theglathphalasaris, Regis Assyriorum auxilium, hic magnam partem Israëlitarum, maximèque eos, qui habita-

bant Damasci , transtulit in Assyrios , ut dicitur 4. Reg. 16. Eodem anno , vel sub initium sequentis , idem Phacea interfectus est , ab Oseâ filio Elæ , qui post istud facinus , statim regnum invasit anno 20. Joatan filii Oziæ , ut ibidem dicitur , id est anno 4°. Achaz. Sed propter turbas & seditiones , quæ supervenerunt in Israël , regno non est potuitus , nisi post novem annos. Undè 4. Reg. 17. dicitur , quòd Osee regnare cœpit super Israël anno duodecimo regni Achaz Regis Juda , cujus regnum novem annorum fuit. Hunc , statim ab initio regni , Salmanasar Rex Assyriorum , sibi tributarium effecit. Sed cùm circa annum sextum regni ejus , comperisset quod rebellare moliretur , ascendit contra eum , & captâ Samariâ post triennem obsidionem , totum Israël em transtulit in Assyrios , sub finem anni sexti Ezechia Regis Judæ , & Oseæ noni. Hicque finis fuit regni Israëlitiçi ; postquàm 254. annis stetitset , à regno Judæ junctum.

Anno 16. Achaz Regis Juda , Ezechias in regni confortium à patre adscitus est ; siquidem Scriptura 4. Reg. 18. testatur , eum regnare cœpisse anno tertio regni Oseæ ; & 29. annis regnavit in Jerusalem. Huic mortuo successit Manassès anno ætatis suæ 12°. & 55. annis regnavit in Jerusalem. Eum ob suas impietates , in manus Regis Babilonis traditum esse , & captivum in Babilonem ductum , Scriptura memorat 2. Paral. 33. Similiter eum hâc calamitate conversum esse ad sinceram pœnitentiam , quam reliquo vitæ tempore non retractavit , ob quam etiam in regnum restitutus est. Hoc autem contigisse volunt Judæi , in Sederolam , anno regni sui vigesimo secundo. Quod si verum est , dicendum erit resipiscenciam ejus fuisse triginta trium annorum. Post mortem Manassis Ammon filius ejus regnum suscepit , sed cum esset valdè impius , post duos annos à servis suis occisus est , eique successit Josias filius ejus , Rex piissimus , ac zelo Dei flagrantissimus , qui cum octo annorum esset regnare cœpit , & triginta duobus annis regnavit in Jerusalem.

Vulnerato Josiâ in Mageddo , ab exercitu Necaonis Regis

Ægypti, & Jerofolymis, mortuo, populus filium ejus minorem, Joachaz nomine, Regem constituit. Sed hic tribus tantum mensibus regnavit. Nam Necao reversus ab Assyriis, Eliacim seniore eum fratrem, Regem constituit, eumque Joachim appellari voluit. Joachaz verò captivum duxit in Ægyptum. Porro Joachim undecim annis regnavit, ac primis quidem regni sui annis servivit Regi Babylonis. Sed cum post triennium servitutis rebellasset, misit Rex Babylonis latrunculos, qui universam Judæam vastarunt; undecim verò regni annis expletis captus est ab exercitu Chaldæorum, eoque mortuo projectum est ejus cadaver insepultum, juxta quod à Jeremiâ Prophetâ prædictum fuerat, Jerem 22°. Joachim autem filius ejus, postquam tribus mensibus regnavit, translatus est, cum matre, uxore & Eunuchis Babylonem. Hic autem Joachim dictus est Jeconias. Suffecit autem Rex Babylonis, in ejus locum, Mathaniam, cui nomen Sedeciæ imposuit. Hic autem undecim annis regnavit. Cum autem rebellasset adversus Regem Babylonis, hic cum ingenti exercitu obsedit eum in Jerusalem, & urbe post biennium captâ, Sedeciæ oculos eruit, templum incendit, & omnes Judæos, plebeis exceptis, transtulit Babylonem. His expositis superest ut nonnullas difficultates in hac ætate occurrentes, quæ chronologos hucusque valdè torserunt, breviter perstringamus.

Prima petitur ex 2. Paral. ib. ubi dicitur quòd anno Asæ Regis Judæ trigésimo sexto, Basa ædificavit Rama; cum tamen 3. Reg. 15°. dicatur Basa regnare cœpisse anno tertio Asæ, & viginti quatuor annis regnasse. Et cap. 16°. dicatur Ela successisse Basæ, anno vigésimo sexto Asæ. Qui ergo post viginti quatuor annos regni mortuus est, vigésimo sexto anno Asæ, quomodo ejusdem Asæ trigésimo sexto potuit ædificare Rama? Quidam, ut Cajetanus & Canus, nodum secantes, dicunt numerum libri secundi Paralipomenon esse corruptum. Sed alii, hanc solutionem improbant, dicunt in 2°. Paral. Regnum Asæ pro regno Judæ sumendum esse, à tempore nimirum divisionis sub Roboam. Probant autem suam sententiam ex alio loco ejusdem

eiusdem libri ; nimirum ubi dicitur Aſa reſerſus à bello Æthiopyico anno regni ſui decimo quinto ; cum tamen in eodem capite dicatur quòd bellum non fuerat uſque ad annum trigefimum quintum regni Aſæ. Si enim annis Aſæ quindecim, addantur ſeptem-decim Roboami, & tres Abiæ, exurgent anni triginta quinque, regni Judaici ab Iſraëlitico ſejuncti.

Secunda difficultas petitur ex 2. Paral. 22. ubi Ochozias dicitur fuiſſe quadraginta duorum annorum, cum regnare cœpiſſet, & tamen ex 2. Paral. 21. conſtat Joram patrem Ochoziæ non vixiſſe pluſquam quadraginta annis, dicitur enim, quòd triginta duorum annorum erat, cum regnare cœpiſſet, & octo annis regnarit. Sed hæc difficultas evaneſcet, ſi dicamus pro quadraginta duobus annis, viginti duos eſſe reponendos, prout habetur 4. Reg. 8°. nec non etiã 2. Paral. 21. in verſione Syriacã ; cui etiam ferè conſentit Sixtina editio Græca, quæ tamen viginti pro viginti duobus numerat.

Tertia difficultas ex eo petitur quòd 4. Reg. 15°. dicitur quòd Ozias ſeu Azarias Rex Juda regnare cœperit anno Jeroboami ſecundi vigefimo ſeptimo, cum tamen ſecundum priorum Regum chronologiam, regnum ejus cœperit anno ejuſdem Jeroboami decimo ſexto. Ad quod dicendum eſt (niſi ſolutio ſuperiùs allata magis placeat,) Oziam quidem ſucceſſiſſe paterno regno anno decimo ſexto Jeroboami : ſed cum tunc temporis quatuor tantum annorum eſſet, regnum adminiſtratum fuiſſe à tutoribus uſque ad vigefimum ſeptimum annum Jeroboami, quo Azarias, ſexdecim annorum factus, per ſeipſum regnare cœpit.

Quarta difficultas petitur ex Jeremiæ 52. ubi tres Judæorum deportationes à Nabuchodonofor factas, ſic recenset : *Iſte eſt populus quem deportavit Nabuchodonofor anno ſeptimo. Iudeos 3023. Anno decimo octavo Nabuchodonoforis deportavit de Ierusalem animas, 832. Anno vigefimo tertio Nabuchodonoforis, deportavit Nabuzardan præſectus militia è Iudeis animas 745. omnes animæ ſunt 4600.* Hæ autem deportationes & tempus earum, nec non & numerus, valde

torserunt Chronologos; præciquè cum 4. Reg. 24. v. 14. mentio fiat de decem millibus à Nabuchodonosore translatis, anno 8. regni sui. Sed omissis eorum diversis sententiis, hic locus de minoribus tantùm deportationibus intelligendus est; non de eâ quæ contigit post annum undecimum Sedeciæ: siquidem in eâ, omnes ferè Judæi Jerosolymorum, qui proculdubiò fuerunt in multo majori numero, deportati sunt. Sic igitur intelligendus est locus iste, ut prima deportatio contigerit anno 11. Joachim currente, & anno 7. Nabuchodonosoris expleto, & 8. currente. Secunda verò, anno decimo Sedeciæ currente, quo tempore Babylonii obsidionem Jerosolymorum ad tempus reliquerunt, ut Ægyptiorum exercitui occurrerent. Tunc enim multi ex Jerosolymis, qui verbis Jeremiæ crediderunt, defecerunt ad Chaldæos, ut patet ex Jerem. 22. & 28. Tertia denique deportatio contigit postquam Judæi interfecerunt Godoliam, quem Rex Babylonis Judæis residuis in Palæstinâ, præfecerat. Consulantur dissertationes Usserii in fine annaliuum.

Quinta difficultas petitur ex cap. 27. Jeremiæ, ubi id quod prædicitur de captivitate plurium regnorum, sub Rege Babylonis, factum dicitur in principio regni Joachim; cum tamen ibidem jubeatur Jeremias, prophetiam illam dare Legatis, qui ad Sedeciam venerant. Ad istam difficultatem alii respondent nomen Joachim pro nomine Sedeciæ per errorem scribarum obrepisse. Alii verò Jeremiam istud quidem prædixisse sub Joachim, sed Sedeciæ temporibus jussum esse, prophetiam illam dare Legatis, qui Jerosolymam venerant.

Sexta difficultas petitur ex 4. Reg. 24. in quo dicitur, Jechoniam decem & octo annorum fuisse, cum regnare cœpit: cum tamen 2. Paral. 26. dicatur fuisse tantùm octo annorum. Respondent alii, errorem esse agnoscendum in 2. Paral. ut patet ex versione Syriacâ, in quâ idem numerus reperitur, qui in 4. Reg. legitur. Alii dicunt Jechoniam octo annis natum cum patre regnare cœpisse; patre ejus id ita disponente, ne successione privaretur filius

ejus, juxtà prophetiam Jeremiæ ; decem & octo verò annis natum , solum regnare cœpisse. Alii denique eum tunc octo annorum fuisse, nimirum à jugo Regis Babylonis suscepto. Sunt qui contendunt eum reverà fuisse tantum octo annorum : sed ista sententia stare non potest , cum iis quæ de ipso Scriptura refert , nimirum quòd fecerit malum in conspectu Domini , & quòd uxores habuerit. His difficultatibus superatis , reliquum est ad hujus dissertationis absolutionem , ut cujuslibet Regis annos hîc in tabulâ exhibeamus.

Schema Chronologicum quinta mundi ætatis.

Regnavit usque ad annum mundi.	Reges Juda	Regnavit annis	Regnavit annis	Reges Israël	Regnavit usque ad annum mundi. ant. ær. vulg. R. Jud.	Regnavit usque ad annum mundi. ant. ær. vulg. Reg. Is.
3030	Salomon ab inceptâ tēpli adificatione an.	37			975	
3046	Roboam	17	22	Jeroboam ab anno 1. Roboami.	958	954
3049	Abia	3			955	
3090	Afa	41	2	Nadab ab anno 2. Afa	914	953
			24	Basa ab anno 3. Afa		930
			2	Ela ab anno 26. Afa		929
				Zamri ab anno 27. Afa diebus 7.		
			5	Amri ab anno 27. Afa vivente Tebni qui parti populi præerat.		925

Regnavit
usque ad
annum
mundi

Regnavit in totū
Reg. Ju. Reg. If.

Regnavit usque
ad annū ante æ-
ram vulgarem
Reg. Jud. Re. If

			6	Zamri mor- tuo Tebni ab anno 31. Afæ.		918
			22	Achab ab an- no 38. Afæ		897
3114	Josaphat	25	2	Ochosias ab anno 17. Josaph. partī cum patre partim solus.	882	896
3119	Joram ab anno 23. Jo- saphat cui so- cius in regno fuit	8	12	Joram ab an- no 19. Josaphat	885	885
3120	Ochosias ab anno 7. pa- tris cui so- cius fuit.	2			884	
3126	Athalia fi- lia Achab u- xor Ochosia.	7	28	Jehu ab anno 1. Athaliae	878	857
3165	Joas	40	17	Joachaz ab an- no 23. Joas R. J.	339	840
			16	Joas ab anno 37. Joas R. J. viventē Patre Joachaz cum eo regnare cœ- pit & in totum regnavit an.		826

3194	Amasias	29	41	Jeroboam II.	810	784
3245	Ozias sive Azarias ab æstate anni	52		ab anno 15. A- masiæ R. J. vide tur tamē jā an- te annos decem	759	
	35. hujus re- gis, mūdi ve- rō 3228. nu- meratur pri- ma Olim- pias quā Chorebus victorexitit, terminatur- que tempus quod à Var- rone <i>μυθικόν</i> seu fabulosū dicitur.		II	in regni confor- tium à patre as- sumptus. Hic numerat- ur Anarchia undecim anno- rum ab anno videlicet 26. O- ziæ ad ejusdem an. 38. Zacharias an- no 38. Oziæ sex tantū mensi- bus regnavit. Sellum anno 39. Oziæ unico mense regnavit.		773
			IO	Manahem ab anno 39. Oziæ.		762
			2	Phacee filius Manahē ab an. 50. Oziæ		760

Regnavit usque ad annum mundi		Regnavit in totū Reg. Ju. Reg. If.	20	Phacee filius Romeliæ ab an- no 52. Ozia. Hosea regna- re cœperat an- no quarto A- chaz seu vige- simo ex quo Joa- than regnare cœperat ut ha- hetur. 4. Reg. 15. Sed seditioni- bus & turbis re- gnum per annos novem ad quan- dam Anarchiã reductū est, qui- bus expletis re- gnavit ab anno 12. Achaz annis novem quousq; Samiã post triennem ob- sionem à Sal- manasar Affirio- rum Rege expu- gnatã Israëlitæ translati sunt in Assyriã regnum- que Israël finem accepit postquã 254. annis stetit à Juda se- junctum.	Regnavit usque ad annū ante æ- ram vulgarem. Reg. Jud. Re. If.
3262.	Joathan	16	9	742	740
3277	Achaz	16		727	
3306	Ezechias anno ulti- mo Achaz in Regni consortiu assumptus	29	9	698	721

3361	Manasses	55		643
3363	Amon	2		641
3394	Jofias	31		610
	Joachaz tri- bus tantum mensibus re- gnavit			
3405	Joachim	II		599
	Jechonias tribus tan- tum mensi- bus regna- vit & decē diebus.			
3416	Sedecias	II		588
	Hujus Re- gis anno un- decimo ex- pleto captā à Chaldæis Jerosolimā direptaque civitate ac templo ejus incenso , Rex Sede-			

cias vinctus catenis effossis oculis asportatus est Ba-
bilonem ac cum eo omnis Juda, exceptis paucis
è populo. Porrò captivitas ista Judæorum contigit
anno 425. ab ædificato templo, ab initio Regni Da-
vidis 468. à decem tribuum distractione 388. ab
Israëlitici Regni excidio 134. verum anni 78. capti-
vitatē inītiū ducunt à primā populi abductione
sub Joachim circa an. mundi 3398.

Summa quintæ mundi ætatis
424. an. 3. mens. 8. die.

DISSERTATIO TRIGESIMA QUINTA
DE SEXTA MUNDI

*Ætate, à combustionem primi Templi
ad Christum.*

CIRCA hanc ultimam veteris populi ætatem, nulla est ferè inter Chronologos difficultas. Quamvis enim, necdum inter se ita conveniant omnes Interpretes, ut nulla superfit omninò diversitas; cum tamen in summâ annorum vix paucis annis, alii alios superent; tam leve spatium non exigit, ut singulorum calculum ad examen revocemus, & annos cum annis conferamus. Quamobrem hic, quemadmodum ferè in superioribus ætatibus, solius Ulfærii chronologiæ adhærebimus. Porrò cùm historiæ sacræ series in septuaginta captivitatis Babilonicæ annis finiatur: hanc ætatem magis ex historiis prophanis, quàm ex Scripturis Sacris eruemus.

Itaque urbs Jerosolima capta est anno undecimò Sedeciæ completo, Nabuchodonosoris verò decimo nono, ut habetur 4. Reg. 25. & Jerem. 32. Hic verò post excidium templi vixit adhuc 25. annis, in totum enim regnavit solus 43. ut videre est apud Eusebium lib. 9. præpar. Evang. capite ultimo: cum patre verò 20. mensibus, ut ex eo constat, quòd juxtà Scripturam regnare cœpit sub finem anni tertii Joachim Regis Juda, siquidem expeditionem adversùs Joachim anno 4. regni ejus suscepit, ut diximus suprà.

Mortuo Nabuchodonosor, successit ei filius ejus Evilmerodach, qui paulò plus duobus annis regnavit, ut docet Berofus à Josepho citatus lib. 1. contrà App. Hunc excepit Neriglissar, qui quatuor annis regnavit juxtà eundem Berofum. Neriglissari successit filius ejus Laborosarchod, qui
novem

Novem tantum mensibus regnavit, ex eodem. Quo ob morum improbitatem ab amicis interfecto, in ejus locum successus est Nabonides, quem Scriptura Baltasarum appellat, qui Nabuchodonosoris nepos, & Evilmerodachi filius erat, regnumque tenuit 17. annis teste Beroso lib. 3. hist. Chaldæorum.

Anno 17. Baltasaris, Cyrus, qui jamdiu Babilonem obsidione cingebat, cum ingentibus Medorum, Persarumque copiis, eam tandem debellavit, eum die festo agerentur convivium per totam urbem; cujus urbis tanta erat magnitudo, ut cum capti jam essent, qui extremas ejus partes incolebant, ii, qui mediam habitabant urbem, id non adverterent: ut narrat Herodotus lib. 2. cap. 191. Baltasaro igitur eadem nocte interfecto, qua, in prophano convivio, vasa templi Jerosolimitani prophanarat, Cyaxares seu Darius Medus, Chaldæorum imperium à Cyro patre accepit, illudque duobus annis tenuit; donec eo mortuo, Cyrus ejus gener, in ejus & patris Cambyfis regnum succedens, Medorum Persarumque imperium conjunxit, eoque septem annis potitus est. Hic anno primo regni sui, Judæis jam 70. annis, nimirum ab anno quarto Joachim, Babylonem translatis, revertendi in natale solum potestatem concessit; simul etiam templum reedificandi, ad cujus ministerium, omnia vasa, quæ à Nabuchodonosore deportata fuerant restituit, ex 2. Paral. 36. & Esdræ 1. 5. & 6.

Cyro defuncto, Cambyfes, filius ejus natu major, imperavit annis septem, & mensibus quinque; ex Herodoto lib. 3. cap. 62. & Jos. lib. 11. antiq. cap. 3. quo mortuo magus, qui se Smerdim Cyri filium esse simulabat, septem mensibus imperavit, ex Herodoto ibidem. Quibus expletis fraude cognita interfectus est à Persis, imperiumque Dario Histaspis, pacto inuito, quasi fortè contigit. Cum enim regni Primates consensissent ac statuisent eum Regem constituendum, cujus equus sub solis ortum primus hinnitum edidisset, hoc auspiciu Dario, arte ejus Equisonis obtigit, sicque imperio potitus est. Ex Herodoto lib. 3. cap. 80.

Cum Darius 36. annis imperium tenuisset, declarato

Xerxe Rege cum in Græciam ire pararet, supremum diem obiit. Ex Herodoto lib. 7. cap. 4.

Xerces itaque in historiâ Græcâ tam celebris 13. annis Persarum imperio potitus est, quibus expletis, cum ab Artabano, satellitum regionum Principe, noctu in lectulo jugulatus esset, successit ei Artaxerces filius ejus minor, qui dictus est Longimanus, quod manum dexteram haberet alterâ longiorem. Ex Ctesîâ, Diodoro, & Justino lib. 3. cap. 1. Hic 49. annis imperium tenuit. Diodorus ad annum 4. Olymp. 88. ac vigesimo imperii sui anno, Nehemiæ pro patriâ suâ supplicanti unâ & præfecturam Judææ, & urbis Jerosolymorum reâdificandæ potestatem concessit. 2. Efd. 2. Hincque hebdomadarum Danielis sumitur exordium. Dan. 9.

Artaxerce defuncto successit ei filius ejus Xerces; sed ad unum duntaxat annum. Diod. loco citato. Cùm enim in quodam festo ebrius esset, & in regiâ suâ dormiret, frater ejus Secundianus & Pharnacias eunuchus ingressi, eum interfecerunt. Ex Ctesîâ. Itaque imperare cœpit Secundianus, vel ut aliis placet, Sogdianus; sed regno non amplius quàm septem mensibus potitus est. Cum enim fratrem suum Ochum, quem Artaxerces Hircanis præfecerat, sæpiùs accerseret, hic magno exercitu se munivit; cumque Rex declaratus esset, Secundianum fratrem suum dolo tentum, & in cinerem coniectum, interfecit: sicque, Darii nomine accepto, regnare cœpit, sub finem anni primi Olymp. 89. ex Tucyd. lib. 8. & Diod. lib. 12. Cum autem 19. annis imperasset, mortem obiit successorem relinquens filium suum Artaxercem qui 43. annis regnavit, ex Diod. Sic. ad annum 4. Olymp. 93. Porrò hic Artaxerces, qui, referente Ctesîâ ejus medico, Arfaces antea vocabatur, ex felicitate memoriæ Mnemonis cognomen obtinuit.

Post Artaxercem regnavit Ochus filius ejus 23. annis, qui & ipse Artaxerces appellari voluit. Hic cum pater ejus moerore, quem ex morte filii Arfamis, Ocho jubente interfecti, conceperat, extinctus esset, Ochus mortem ejus decem mensibus dissimulavit, donec ab omnibus provinciis, patre ejus edicente, Rex agnosceretur: cùm autem

crudelissimus in regno suo fuisset , pluresque regni Proceres immaniter trucidasset , eum ægrotantem Bogoas Eunuchus , militum Tribunus , Medici operâ usus , veneno sustulit. Diod. ad annum tertium Olymp. 104. & ad annum secundum Olymp. III. Ocho autem interfecto Bogoas , Arsen filium ejus natu minimum , omnibus fratribus ejus interfectis , Regem constituit. Diod. ibidem. Sed cum idem Bogoas tertio imperii Arses anno , deprehenderet Regem , scelerum pœnas ab eo velle repetere , ipsum cum omnibus liberis interfecit. Cùmque nullus ex stirpe regiâ jam superesset , qui regnare posset , idem Bogoas Darium Arsanis filium , amicum suum , Regem constituit. Ex Diod. lib. 7. ad annum secundum Olymp. III. & Alexandro apud Curtium lib. 6. cap. 4. Sed cùm hunc quoque Darium interficere idem Bogoas cogitaret , re Dario compertâ , ipsum veneno necavit , ut ibidem refert Diodorus. Itaque Darius , occiso proditore , imperium sex annis tenuit : cùmque ab Alexandro magno pluries victus esset , eumque fugeret , tandem à suis primùm vinctus , & catenis aureis oneratus , postmodum , Alexandro eos propiùs urgente , & Dario fugam , quam illi suadebant , detrectante , ab iis occisus est : sicque finitum est Persarum imperium 200. annis , postquàm à Cyro conditum fuerat. Just. lib. undecimo cap. 15. & Plutarch. in Alexandro.

Alexander post mortem Darii imperavit annis circiter septem , ut docet antiquus Chronographus , qui sub Severo scripsit. Apud Henric. Canisium tom. 2. antiquarum lectionum pag. 600 : in totum verò annis duodecim. Ex 1. Mach. 8. Eratosthene , apud Clem. Alex. lib. 1. Strom. Tertull. contra Judæos , Joseph. lib. 12. antiq. cap. 2. Oros. l. 3. cap. 23. &c. Quibus completis , cum in convivio apud Medicum , quemdam Macedonem , cum poculo duos congios continente , provocasset , ab hoc vicissim cum eodem poculo provocatus , abundantiam vini ferre non valens , poculo ex manibus demisso , statim in pulvinar decubuit , indèque morbo correptus interiit. Ex Diodoro , Plutarcho , Senecâ Epist. 83. Athenæo lib. II. & Macrobo. lib. 5. Saturn. cap. 21.

[Alexandro mortuo post sedatum diffidium, quod inter pe-
dites & equites ortum erat, tandem Aridæo Philippi Ma-
cedonis ex scorto filio, rerum summa delata est. ex Just.
lib. 13. cap. 2. Sed cùm hic mentis satis compos non esset,
Perdicæ Orontis filius, cui Alexander moriens annulum suum
tradiderat, regni gubernator & procurator designatus est. Re-
fert autem Diodorus Sic. lib. 2. ad annum quartum Olymp.
118. Alexandrum testamentum de toto regno à se confectum
in Rhodiorum civitate deposuisse; eoque testamento om-
nem nationem in successoris unius jura translata Amm.
Marc. lib. 23. innuit. Docet verò Q. Curtius lib. 10. cap.
13. credidisse quosdam, testamento Alexandri distributas esse
provincias; sed famam, inquit, hujus rei, quanquam ab
authoribus tradita est, vanam fuisse comperimus. Hanc ta-
men sententiam author 1. Mac. sequutus esse videtur. Quid-
quid sit de isto testamento, referunt plerique authores, istã
Provinciarum dispositionem à Perdiccâ fuisse factam. Ita Dio-
dorus lib. 18. Justinus lib. 13. c. 4. Curtius lib. 10. cap. 13.
Arrianus apud Photium cod. 92. &c. Cæterum plerique ist-
ti provinciarum præfecti, paulò post in Reges evaserunt,
& regiam quidem auctoritatem ab initio habuerunt: sed
regium nomen non assumpserunt, nisi postquam omnes fi-
lii Alexandri mortui sunt, ne quemquam justum principis
sui hæredem, fraudare viderentur. Ita Just. lib. 15. cap. 2.

Undecim circiter annis post mortem Alexandri nimirum
anno 2°. Olymp. 117. ut refert Diodorus Siculus, Seleucus,
valido potitus exercitu, cum Mediam Susianam, & alia
loca vicina, ditioni suæ subjugasset, regium nomen assump-
sit. Undè ab hoc anno, æram Seleucidarum orditur Euse-
bius, eamque in suo calculo sequitur author libri Macha-
bæorum. Cum autem Seleucus, qui ob victorias, quas de
hostibus retulit, Nicatoris nomen adeptus est, annis 32.
regnasset, propè locum *Argos* dictum, circa Lyfimachiam
à Ptolomæo Cerauno, Ptolomæi Soteris filio, à tergo ag-
gressus & confossus est anno Seleucidarum 32. & ab exitu
Alexandri 43. ut docent Justinus lib. 17. cap. 2°. Appianus
Syriac. pag. 128. & 129. Seleuco Nicatori, successit Antiochus

Soter, qui regnum Syriæ, annis 19. obtinuit. Ex Porphir. & Sever. Sulp. Dicitur est autem Soter eò quòd Græciam, ab irruptione Gallorum in Asiam, servasset. Huic mortuo successit Antiochus ejus filius, quem Milesii ob sublatum eorū tyrannum primi, ^{θεορ} cognominaverunt. Huic, Berosum Chaldaicæ historiæ libros dicasse, asserit Tatianus, Orat. adversus Gentes. Postquàm autem regnavit annis 15. à Laodice uxore veneno interfectus est, eique successit filius ejus Seleucus, qui à victoriis Callinici, à Barbâ verò Pogonis nomen accepit, regnavitque annis 20. Euseb. in chron. Polyb. lib. 2. p. 155. postea verò equo præcipitatus interiit, duobus filiis Seleuco & Antiocho relictis. Seleucus, qui Ceraunus dicitur est, post tres regni annos veneno in Phrygiâ periit. Polyb. ibidem. Just. lib. 29°. cap. 1°. Jeron. in Dan. 11. Antiochus verò, post Cerauni mortem, ab exercitu qui erat in Syriâ, de Babylone evocatus est ad regnum, cum adhuc esset admodum juvenis. Polyb. lib. 4°. p. 271. Just. ibidem. Vixit autem in regno annis 36. & magni cognomen adeptus est. Euseb. & Porphir.

Antiocho propè Elimaidem interfecto, eò quòd templum Jovis infinitis repletum divitiis spoliasset, successit ei Seleucus, cognomento Philopater, quem Josephus lib. 12. antiq. cap. 3. Soterem appellat; regnavitque annis duodecim. Ad hunc autem Seleucum, spectare videtur quod habetur 2. Macab. 3. Eo verò, insidiis Heliadori sublato, successit Antiochus ejus frater: qui postea dicitur est illustris; regnavitque annis undecim. Anno verò 3°. regni sui Jerosolimam aggressus est, eaque captâ, 40. quidem Judæorum millia intrâ triduum peremit, totidem verò captivos vendidit, insuper & templo profanato, vasa ejus omnia diripuit; deincepsque reliquo regni tempore, Judæos mirum in modum afflixit. Ex 2. Macab. 5. & Jos. lib. 1. de bello cap. 1°. necnon lib. 6°. Sed cum gravioribus pœnis eos afficere, penitusque abolere decerneret, immedicabili viscerum dolore correptus, impietatem suam seriùs agnovit, proceribusque regni sui jussit, ut Judæis suo nomine satisfacerent, omnibusque restitutis, à quibus eos spoliaverat,

omni beneficiorum genere afficerent; nec tamen simulatam ejus poenitentia impedire potuit, quominus tunc moreretur. 2. Mac. 9. & 1. Mac. 6. Anno 149. regni Græcorum Antiocho mortuo successit ei Antiochus filius ejus, qui dictus est Eupator, regnavitque annis duobus, ex Jos. lib. 12. cap. 16. & Euseb. in chron. cumque à Demetrio Seleuci filio esset occisus, hic in ejus locum successit, regnavitque annis 12. ut referunt Polyb. lib. 3. p. 161. Porphir. Euseb. Sever. Sulp. &c.

Post Demetrium Alexander regnum Syriæ suscepit; illud annis circiter 5. id est quatuor & septem mensibus tenuit. Quo mortuo successit ei Demetrius, Demetrii Soteris filius, anno regni Græcorum 167. ex 1. Mac. 11. sed 2.º regni anno, expulsus est à Triphone, qui Antiocho puero, Alexandri Balæ filio, regnum Syriæ restituit. Sed necdum Antiochus Theos duobus annis regnum tenuerat; cum Triphon, medicorum operâ usus, 2.º anno regni eum peremit, regnumque Syriæ invasit, 1. Macab. 13. Liv. lib. 55. Just. lib. 36. cap. 1.º. Sed post quatuor regni annos, regno & vitâ privatus est ab Antiocho Sidere, Demetrii fratre, qui devicto Tryphone, novem annis regno potitus est, ab an. 174. regni Græcorum & deinceps, 1. Macab. 16. Porphir. & Euseb. donec post annos novem in prælio à Parthis occisus est. Just. lib. 38. cap. 10. & 39. cap. 1. Josephus lib. 13. cap. 16. Euseb. in chron. &c.

Post mortem Antiochi, Demetrius iterum regno potitus est quatuor annis, quibus expletis, Syri regni ejus perterriti, a Ptolomæo Phiscone postularunt, ut Regem ex Seleuci genere eis daret: ad quos Phisco Ægyptium quemdam captivum misit, quem illi susceperunt, à quo Demetrius profugus, paulo post Tyri, non invitâ ejus uxore Cleopatrá, occisus est, Just. lib. 39. cap. 1.º. Livius lib. 60. &c.

Itaque Alexander Zebinas, (sic enim appellabatur hic Ægyptius) regnum 4. annis tenuit, donec Cleopatra an. 2. Olymp. 164. Seleuco filio, qui post Demetrium, successivè regnum inierat, interfecto, Antiochum Gryphum in ejus locum

sufficit. Ex Porphir. in Gry. Euseb. Scal. p. 227. Ab hoc enim Zebinas captus & interfectus est. Just. lib. 29. cap. 2. Gryphus verò cum annis octo quietè regnasset, ab Antiocho Ciziceno, fratre ejus uterino, Antiochi Sidetæ filio victus, & regno pulsus est. An. 1. Olymp. 167. Porphyr. ibidem. Anno tamen sequenti, Gryphus Syriam recuperavit, fratre ejus Coelesyriam occupante. Idem ibidem. Porrò post 18. annos, Seleucus Gryphi filius, multis coactis copiis, patruo Ciziceno bellum intulit, eum devicit, & interfecit; aut certè ipse Cyzicenus se victum conspiciens, peremit. Ex Porphir. ibidem. & Josepho lib. 13. cap. 21. Post cujus mortem, Seleucus regno potitus est; sed anno sequenti ipse Seleucus, ab Antiocho Eusebe seu Pio, Ceziceni filio, prælio victus est, & è totâ Syriâ pulsus, ex Joseph. ibidem, Appian. in Syriac. p. 133. Profugus autem Seleucus apud Mopsuestiam, cum tributa ab iis exigeret, à Mopsuestianis, simul cum regiâ concrematus est. Josephus ibidem. Antiochus verò Eusebes ab anno 1^o. Olymp. 171. regnare cœpit, cumque duobus annis regnum tenuisset, occisus à Parthis, vel potiùs ad Parthos confugiens, regnum duobus Gryphi filiiis, Philippo & Demetrio Eucato, reliquit. Ex Joseph. ibidem. Postea verò redux Antiochus Pius, varia bella cum Philippo & fratribus ejus per octo annos gessit, donec tot motuum & bellorum pertaxi Syri, seiplos Tygrani Armeniæ Regi subjecerunt. Just. lib. 40. cap. 1^o. Tygranis igitur, regno Syriæ suscepto, per annos 18. eo potitus est, donec devictus est à Pompeio, qui Syriam Romanis subjecit. Secundo verò post devictum Tygranem anno, idem Pompeius, Antiochum Asiaticum, Antiochi Pii filium, qui regnum paternum quadriennio ante, Luculli beneficio receperat, eodem regno, & paternâ hereditate privavit. Just. lib. 4^o. cap. 2^o. & Appian. in Syriacis.

Post biennium, Pompeius obsessâ Jerosolimâ, eam debellavit, eâque occupatâ, duodecim Judæorum millia peremit. Hoc autem contigit Antonio & M. Tullio Cicero-
ne Coss. an. 1^o. Olymp. 179. Josephus lib. 14. cap. 8. &

Euseb. demonst. lib. 8. cap. 2. Illud verò memoriâ dignum est, quòd vigesimo octavo mensis Casleu, qui 20. nostri Decembris respondet, templum à Babyloniis captum, eodem die à Pompeio post 543. annos captū sit, ac denique, eodē etiam à Sosio, cum Judæi Idumæis servire cœperunt. Hic porrò annus est 79. ab anno regni Græcorum 170. quo I. Mach. 13. dicitur jugum Gentium ab Israëlē sublatum fuisse.

Pompeius captâ Jerosolimâ, summum Sacerdotium, seu Pontificatum Hircano reddidit, coque Hircanus per annos 24. potitus est. Josep. lib. 20. cap. 8. Ab hoc autem anno, usque ad Augusti primum consulatum, à quo initium imperiū ejus numeratur, 20. anni elapsi esse reperiuntur. Anno autem Augusti ab hoc Consulatu 39. Herodis 33. Augusto 12^m. & Corn. Syllâ Coss. 4. integris annis ante æram vulgarem. Salvator noster juxtâ eruditorum calculum in Bethleem Judæ nascitur. Sed hæc omnia ex infrâ positis tabulis meliùs intelligentur. Interim nonnulla de 70. hebdomadibus Danielis hic adjicienda sunt.

Itaque convenit hodie inter eruditos, initium istarum hebdomadarum, ab anno vigesimo Artaxercis Longimani, esse desumendum. Hocque patet ex ipsâ Danielis prophetiâ, quæ initium istarum hebdomadarum desumit; *ab initio sermonis ut iterùm adificetur Ierusalem.* Atqui initium illud contigit anno Artaxercis 20. siquidem ante eum nullus de urbe reædificandâ edictum concesserat. Ab hoc autem anno 20. Artaxercis, usque ad an. 33^{um}. æræ vulgaris, quo mortuū esse Salvatorem, refert etiam probata sententia, reperiuntur 486. anni, qui efficiunt 69. hebdomadas cum dimidiâ, in quâ occiso Christo defecit hostia & libamen, Lege veteri abrogatâ, & novâ institutâ. Ex quo manifestum est in Christi Domini morte impletam esse celebrem illam Danielis prophetiam; sicque Judæos negare ampliùs non posse, quin jure meritò ipsum pro vero messiâ habeamus. Sed de veteri historiâ hæctenus.

Schema Chronologicum sexta mundi etatis.

Vixit usque

ad annū
mundiRegnavit.
annis

REGES BABILONIS

Vixit usque ad annū
ante arā vulgarem

3442	25	Nabuchodonosor cœpit Jerusalem anno regni sui 19. vixitque post excidium templi annis 25.	562
3444	2	Evilmerodach annis paulò plus duobus.	560
3448	4	Neriglissar annis quatuor.	556
		Laboro soarchod novem tantum mensibus.	
3466	17	Nabonides qui & Baltasar annis 17.	538

REGES PERSARUM AC MEDORUM

3468	2	Darius Medus an. 2.	536
3475	7	Cyrus an. 7. hujus anno 1 ^o . finem acceperunt 70. captivitatis anni.	529
3482	7	Cambyfes an. 7.	522
3519	36	Darius Hytaspis an. 36.	485
3532	13	Xerces an. 13.	473
3579	49	Artaxerces Longimanus an. 49.	425
3580	1	Xerces II. anno uno. Secundinus mensibus septem.	424
3600	19	Ochus seu Darius an. 19.	404
3643	43	Artaxerces II. dictus Mnemon an. 43.	361

Schema Chronologicum sextæ mundi ætatis.

Vixit usque ad annum mundi. Regnavit annis **REGES PERSARUM ATQUE MEDORUM** Vixit ad annum ante æram vulgarem.

3666	23	Ochus qui & Artaxerces dictus est an. 23.	338
3668	3	Artes an. tribus aut circiter.	336
3674	6	Darius an. sex.	330

REGES MACEDONUM ATQUE SYRORUM.

3681	7	Alexander Magnus Dario mortuo an. 7.	323
3692	11	Aridæus & post eum plerique Provinciarum præfecti an. 11.	311
3724	32	Seleucus annis 32.	280
3743	19	Antiochus Soter annis 19.	261
3758	15	Antiochus cognominatus ^{θεός} à Milesiis annis 15.	246
3778	20	Seleucus dictus Callinicus & Pogon an. 20.	226
3781	3	Seleucus Ceraunus annis 3.	224
3817	39	Antiochus Magnus annis 39.	186

Schema Chronologicum sexta mundi ætatis.

Vixit usque ad annum mundi

Regnavit annis.

REGES SYRORUM.

Vixit usque ad annū ante æram vulgarem

3829	12	Seleucus dictus Philopater an. 12.	175
3840	11	Antiochus Epiphanes seu Illustrius annis undecim.	164
3842	2	Antiochus Eupator annis 2.	162
3854	12	Demetrius dictus Soter an. 12.	150
3859	5	Alexander Balas an. 5. aut circiter.	146
3860	2	Demetrius Soteris filius qui dictus est Nicator an. circiter duobus.	144
3861	2	Antiochus Alexandri Balæ filius an. 2. aut circiter.	143
3865	5	Tryphon an. 5.	139
3874	9	Antiochus Sidetes frater Demetrii Soteris an. 9.	130
3878	4	Demetrius Nicator à Parthis primū captivus factus, ab iisdem postea restitutus in regnum.	126
3882	4	Alexander dictus Zebina an. 4.	122
3892	8	Antiochus Gryphus Demetrii filius an. 8.	112

Schema Chronologicum sexta mundi ætatis.

Vixit usque ad Regnavit
annum annis
mundi.

REGES SYRORUM.

Vixit usque ad
annum ante æram
vulgarem.

3910	18	Antiochus dictus Sizicenus an. 18.	95
3911	1	Seleucus an. 1.	93
3912	2	Antiochus dictus Eusebes seu Pius an. 2.	92
3921	8	Philippus & Demetrius dictus Eucares an. 8.	83
3938	18	Tigranes Rex Armeniæ postulat ^{us} à Syris an. 18. Pompeius regnum Syriæ Romanis subditum reddit	66
3941		Urbem Jerosolymorum obsesā simul cum templo capit	63
3961		Octavianus Cæs. Augustus primum in ^{it} Consulatum 19. mensis Augusti die.	43
4000		Anno 39. ab hoc primo Consulatu Christus Dominus in Bethleem Judæ nascitur 25. Decembris. Herod. Reg. an. 33. Augusto duodecimum & Cornelio Syllā Consulibus.	4

FINIS.